
ANTONII SANDERI PRESBYTERI GANDAVVM SIVE GANDAVENSIVM RERVM LIBRI SEX.



BRVXELLIS,
Apud IOANNEM PEPERMANVM, Bibliopolam iuratum,
Typographumq; Ciuitatis, sub Biblijs aureis, 1627.



PERILLVSTRI

AC

GENEROSISSIMO VIRO

DOMINO

CAROLO A BVRGVNDIA

CATHOLICO REGI A CONSILIIS BELLICIS

EQVITI ORDINIS S. IACOBI

COMITI DE VVACQVEN,

Magno Gandauensium Prætori, &

Turmæ Equestris Lanceatæ

Præfecto;

Nobilißimis item ac Amplißimis

DOMINIS

NICOLAO TRIEST

Equiti Toparcho de Auweghem,

PHILIPPO LANCHALS

Equiti Toparcho de Olsene,

COSS.

GVLIELMO VAN COORENHVYSE, Domino de Op-lintere,
ANTONIO VAN WYCHVYS,
GISLENO NIEVLANT, Domino de Lerberghe,
IOANNI DE CASTILLO,
IOANNI STALINS,
IACOBO BOSSIER,
CLAVDIO DAMAS,
EMANVELI BALLET,
ADRIANO BLOMME,
ÆGIDIO DEECHBROOT,
PETRO VANDER VICHTE,

Prudentißimis Reip. Gand. Senatoribus,

ANTONIVS SANDERVS

PRESBYTER

D. D.



INVS ſemper probatum à Viris ſapientibus eorum ſtudium fuit, qui in illuſtrandis, ac cognoſcendis exterarum gentium Hiſtorijs ſeduli, ac curioſi, res domeſticas, ac præclara Maiorum ſuorum facta neglectim habuêre. Ita enim inutili pænè illo, ac præpoſtero quorumdam labore factum eſt: vt ea monu-

monumenta legentium, ijſque per omnem ætatem inhærentium animus foris vagus, in patria peregrinus, & ab ijs, ad quæ primum iure natalitio reſpicere debebat, alienus: barbararum & vix ad rem pertinentium rerum cognitione imbutus ſit: & ad ea quæ laudabiliter à Maioribus noſtris inſtituta, fortiterque ab ijſdem geſta ſunt, quaſi à præſtantibus ingenijs contemptum paſſa, nauſeârit, minuſque ſibi ac Patriæ ſuæ proficua ſectatus, denſæque vicinorum caligini inuolutus, nec ea quæ procul poſita ſunt aſſequi, nec, ad quod præcipuum niti debebat, boni ciuis implere officium, id eſt, de Patria rebuſque domeſticis benè mereri, per earundem inſcitiam, laborarit. Profectò non maiorem operæ ſuæ fructum tuliſſe mihi videntur illi, qui ſic ad propria ſegnes, in alieno induſtrij fuêre: quàm qui foras profecti, incognitas terras vt colerent, agrum ſuum, ferendis frugibus alioquin natum & vberem, domi incultum ac ſenticoſum reliquerunt. Aſſyrias opes, Thebas, & Troiam, Græcorum ſtratagemata, Romanam potentiam admiramur; Hectorem & Achillem, Scipionem & Hannibalem, Pyrrhum & Alexandrum, Cæſarem & Pompeium quotidiè declamamus. Illorum laudibus tinniunt aures, ſtrepunt pulpita, erudita laſſantur ingenia, raucescit vox Oratorum; de Maio-

ribus noſtris, viris etiam fortiſſimis, à quibus non Remp. modò, at ſanguinem quoque, & vitam accepimus, ac quibus poſt Deum debemus omnia; de ijs inquam, quorum facta magnis aliarum gentium nominibus etiam comparari poſſint, vix cogitamus. Eos ſitu obſitos ſpernimus, ac veros licet Heroas fœdis ignorantiæ tenebris merſos ſilemus: quorum decora ſi eruditus erueret labor (vti cùm proxima & agnata nouimus, ſi rectum naturæ impetum ſequimur, vehementiore in eadem affectu ferri ſolemus) eadem etiam, domeſticis commotus exemplis, nepotum animus imitari ſtuderet. Sed eâ non Flandri modò, at Belgæ ferè omnes animi infirmitate, ac vitio laboramus, vt peregrinis maiora noſtratium populorum encomia, ac parentum ornamenta, non ſolùm benigno conatu non attollamus; verùm odio ac liuore preſſa, ijs ſemper, quæ alibi nata, & huc adducta, natiuum Belgii candorem inquinant, nobis ipſis iniqui, palpones etiam aliorum, ac ſerui poſtponamus. Ego verò, cùm eam inuidiæ labem, vti Patriæ noxiam ita mihi ſacram, ſemper execratus ſim, etſi nec hiſtoriam, nec Annales Patriæ ſcripſi: volumen tamen hoc rerum Gandauenſium edo, vt aliquam, nos præſertim qui Gandaui viuimus, eius vrbis imaginem intuiti, ac quantum per inuolucra temporum, ac eorum

eorum mores, qui laudanda magis olim præstare, quàm sua & aliorum facinora scribere maluerunt, colligi potuit: Domesticarum originum notitiam adepti, in varia Maiorum decora excitemur, animosque ac magnitudinem priscam æmulati, quæ benè constituta sunt, pristino labore ac industriâ augeamus, ac ijs denique virtutibus, quibus hanc olim florentem Maiores nostri reddidere, Spartam exornemus: etiam, quæ prima Christiani pectoris esse cura debet, antiqua veneremur sacra, & in hac præsertim temporum varietate falsique contagijs, eam Religionem, illud Euangelium teneamus, in ea fide moriamur: quam hisce locis primi doctrinæ Christianæ magistri intulisse, optimorum Scriptorum auctoritate, alijsque irrefragabilibus argumentis hîc ostenduntur: quique à monastica disciplina, ijsque ceremonijs ac ritibus prorsus ijsdem, quos nunc in diuino cultu Romana docet ac seruat Ecclesia, Gandauensem Ecclesiam auspicati sunt. Loca itaque prophana, sacra item, ac religiosa descripsi: in ijs, quæ ad commendationem eorum facere putaui, commemorans, reliquias etiam attigi, quòd eæ præcipua Ecclesiarum præsidia, & ornamenta censeri debeant, ac earum intuitu sæpè Deus noster, erga miseros nos & afflictos, beneficus fuerit, & liberalis. Ac tametsi ad alia quædam partim
pole-

polemica, partim ascetica argumenta animus inclinaret, ac ijs etiam, quæ, aspirante Deo, Ecclesiæ Catholicæ non inutilia prorsus fore confido, nunc inhærerem: hæc tamen ab annis aliquot incepta, multo dein tempore seposita, & in forma Embryonis relicta, nuper iterùm in manus sumpsi, auxi, ac pro ingenij mei modulo, etiã inter tubas & lituos, & inimicum Palladijs meditationibus fragorem, poliui; sic, quod à me Patriæ meæ debitum sentiebam, soluturus. Festinaui etiam, fateor, vt hoc, qualecumque sit, gratitudinis meæ monumentum ab Auctore forsan obscurum, & morsibus alioquin obnoxiũ: à titulis & dignitate nobilissimi Prætoris & optimorum Consulum claritatem; ab auspicijs quoque, ac tutela huius potissimùm Senatus, præsidium acciperet, ac munimen. Mihi credite, Viri Amplissimi, huius me nunquam laboris pœnitebit: si vobis illum Viris prudentibus, ac cordatis in pretio & gratum, ab alijs etiam, quos inscitia & liuor in maledicentiam, & conuitia cogit, sensero arrodi Adfulgebit enim, spero, tam serenus conatibus hisce meis beneuolentiæ vestræ radius, quem infesta pijs laboribus noctua dissipatis maledicentiæ nebulis non poterit sustinere. Virtutem vestram verebitur malitia, & quæ alioquin petulantis linguę spargeret virus, optimi Senatus auctoritate

pressa,

pressa, se continebit. Gaudeo profectò, gratulorque mihi plurimùm ea hoc in scripto nomina legi, quę vt omnes ad animi cultum, & amorem bonos vocant, ita prauis terrori sunt: eum hac in pagina Magistratum recenseri, cuius etiam egregiâ sollicitudine, ac vigilantiâ nequeunt, exemplo nolunt, vlla Reipub. membra claudicare. Ac cùm ob eam caussam multum vobis omnibus, ô dulces Patriæ Patres, sic Resp debeat, tuæ tamen, *Carole à Burgundia*, præstantiæ cumprimis obstringitur, qui pares priscæ & eminenti Nobilitati adferens animos, ornare non modò ciuitatem hanc, sed insignibus etiam obsequijs de vniuersa Belgarum Rep. benè mereri satagis. Tuæ etiam, Amplissime Consul, & Eques Nobilissime *Nicolae Triest*, obstringitur indoli: qui passim, quâ parte rerum clauo admoueris, eximiâ fide, adfectu sincero, prudentiâ singulari, moderatione summâ, etiam non sine doctrinę ac litterarum adminiculis, vt agenda clariùs videas, Religioni & Reip. te impendis. Certè, (si verum est fortes creari fortibus & bonis) qui Maiores tuos alioquin ignoraret, vel è sola actionum tuarum pulchritudine iudicet viros fuisse maximos, à quibus ortum habes. Magna illorum in hanc Remp. merita sunt, magna sunt & tua, vt meritò dubitem, an illorum alicui amplius, quàm

tibi debeatur; & licet illâ Familiâ natũs ſis, quæ inter Gandauenſes virtute, prudentiâ, integritate, honoribus, maximè conſpicua eſt: incertum nihilominus, an maiorem tu ab illis, quàm à te illi ſplendorem mutuentur. At, ne verecundia tua iniuriam patiatur, magna ac illuſtria Familiæ tuæ decora non recenſebo. Non amplius quàm ab annis trecentis (priora tempora non attingo) è veſtra domo, vt de alijs Magiſtratibus ſumma huius, & aliarum Vrbium Prætura, frequente Electoris ad creandum in hac vrbe Senatum à Principe conſtituti, munere: Conſulatus ſexaginta & vnum, faſti omnibus noti produnt; è quibus Pater tuus fœlicis memoriæ *Philippus Trieſt* Eques, Auweghemij Dominus, (qui ſuo tempore idea morum, ac probitatis, delitium quoq; bonorum Ciuium audiebat) tredecim geſſit. Alia, quæ te quoque illuſtrare poſſunt, ornamenta non adduco. Frater tuus *Antonius Trieſt* Clariſſimus Gandauenſium Antiſtes magno diuini honoris & animarum zelo Eccleſiam ſibi commiſſam fulcit; Alter item frater tuus *Philippus Trieſt*, ſtrenuus Equitum ductor, Vir itidem probiſſimus, & à fraudibus aliquorum, qui minùs fideles Regi militant, alienus: ſummâ vigilantiâ limitem noui Canalis, Regio opere nuper inter Brugas, & Gandauum exciſi, tuetur, ac conſtitutis iſtic præ-

ſidijs

ſidijs imperat, diſciplinæ amans, rapinis ac populationibus, alijſque militum inſolentijs hoſtis; vt etiam de alio fratre tuo *Ioanne Baptiſta Trieſt*: qui nuper in ſæculo Reip. proficuus, vir etiam egregiè doctus, nunc ſub rigido S. Franciſci inſtituto continentiam, ac pietatem colit, nihil dicam. Sed ne à publicis ad priuata lapſus, ab inſtituti mei ratione videar receſſiſſe, ad Senatum reuertor, eâ vniuerſim laude florentem, ijs ſingulatim virtutibus inclytum, vt quod in toto requirat, in qualibet parte bonorum Ciuium pietas poſſit inuenire, & quæ iunctim omnes, eadem vnuſquiſque ſeorſim Elogia mereatur. Fœlix Gandauum! cuius ad excellentiam hoc etiam accedit, habuiſſe ſemper Magiſtratum (qui anima politiæ, vigor eſt Ciuitatis, ſcatebra omnis boni) vti cæteris virtutibus, ita Religione ac pietate in Deum, fide & obſeruantiâ in Principes illuſtrem. Vellem huius anguſtia loci pateretur, ea nunc à nobis adferri argumenta, quæ vt diuini honoris ſtudium hac in Rep. ſummum, ita ſingularem ſemper (vbi manifeſta diuinis humaniſque legibus, ab ijs, qui eas tueri ac propagare debebant, iniuria facta non eſt, palamq; iniuſtitiæ ac Reip. exitio litatum) Principum amorem ac cultum produnt. De nuperis motibus, qui toti Belgio fatales fuêre, nihil hîc dico; fateor, communi malo etiam noſtra Ciuitas

 inuo-

inuoluta fuit: quid mirum? vix vllum ego in Belgica locum scio, quem non pestifera illa hæresion, ac rebellionis aura adflarit; nec sacra etiã hîc primùm mutata, nec à nobis illa petulantia cœpit. [a] Si prisca recolimus: vix maior vspiam diuinarũ rerum Maiestas, Templorum amplitudo, Cœnobiorum opulentia, Sacerdotũ honor, quàm Gandaui fuit. Neq; ea pietatis testimonia domi prębere Vrbi nostrę satis erat: foris se dilatauit Religio, & [b] cùm sub Episcopo Tornacensi Gandauũ esset, per sęcula aliquot ad annuæ supplicationis solemnia, quæ Tornaci cum Imagine Deiparæ Virginis agebatur, profecti Gandauẽses: vestem auro gemmisque rutilam, publicum deuotionis suæ monumentum, singulis etiam annis Imagini donauêre. Cùm graui inter Vrbanum & Clementem Ecclesia schismate laboraret: soli ferè hoc in tractu Gandauenses, cum summo etiam rerum omnium discrimine, ac Principis falsum Pontificem sequentis ira, Vrbani vocem, qui verus, ac vnus Ecclesię Pastor erat, frendentibus nequidquam lupis, audierunt. [c] In hæreticos etiam, & Turbones pio semper zelo Senatus exarsit: maleficos etiam illos, ac Reip perniciosos, ne lues inualesceret, ac cæteris terror esset, iustis ignibus, alijsque supplicijs extinxit. Hãc erga Deum pietatem, clara in Principes obsequia sequuntur; è multis prisca quędam

a In vita S. Dunstani apud Surium 19 Maij. Dunstanus nauẽ ascendens in Flandriam adpulit, vbi à Principe Terræ magni habitus est, & valdè dilectus. Rogauitque eum, vt Gãdaui cõuersaretur, vtpote loco, qui præcipua religione in sua ditione eo tempore præditus erat. Vide & Molanum in Natal. 19. Maij.
b Vide Ioannẽ Cognatum in Historia Tornacensi passim. *c Vide Meyerum, & alios in Philippo Audaci.*

quędam fidei, & amoris argumenta dabo. Aleâ ſibi Flandriam Hollandiæ Comes à Principe noſtro vendicarat: non id paſſi ſunt Gandauenſes; itaque ne de iniuria victor quereretur, numeratâ per eos pecuniâ, ditionem alioquin Batauis ceſſuram, redemerunt. 1211. tenebatur ab hoſtibus publicis Cortraci *Ferdinandus Luſitanus* cum Coniuge: iuêre Cortracum Gandauenſes, ac vrbe direptâ, liberos Principes reduxêre. 1429. emit Philippus Dux Namurcum, ſoluunt pretium Gandauenſes. Ijdem 1344. Arteueldium Principibus infeſtum, ac cum Decemviris ſuis de Democratia cogitantem, occidunt. Per eos quoque Guido Dampetra longæuus ille, ac carus Flandrorum Comes, è diutina cuſtodia potiſſimum eductus. Fateor, à paucis aliquando, vt oues abſque Paſtore ſeducti, ijs etiam prauis, ac verſipellibus, non rarò, & acriter infeſti fuêre; qui res ſuas vt agant, Principem prætexunt; Principes interim ipſos omni cultu, obſeruantiâ, ſuppetijs, ſeu pace, ſeu bello proſecuti. In conflictu Groningenſi eorum præcipuè, Duce *Ioanne Borluto* Milite fortiſſimo, contra Gallos, ſummis viribus Flandriæ imminentes, virtus enituit. Aliàs etiã cum nouem millibus ex 30000. Gallorum nouem cæſis, multa iuri Burgundico vendicarunt. 1471. Ambianum à Carolo Audace obſidetur: ad eum protinus 175. lecti Iuuenes Gandauenſes,

 queis

queis stipendium à Ciuitate & opificum collegijs dabatur, eunt. Cùm eodem Principe 4000. Gandauensium (duxit eos *Ioannes vander Asselt* cognomento *Nieulant*) sumptibus vrbis, Leodium profecta sunt. 1467. cùm nescio quo excitata tumultu Gorduna plebs sub eodem Principe bellicoso in forum armata veniret: commotus in eam Princeps, redire domum iussit, scipione etiam plebem armatam verberauit; illa immobilis: Domine, inquit, tui sumus, ferias licet fortiter, patiemur, modò nos alius, nemo concutiat. O egregiam Principis fiduciam! ô claram subditorum virtutem! extra Flandriam adorare potiùs commotam plebem, quàm fustibus coërcere necessum sit. Eodem Principe *Carolo* ad Nanceium infeliciter occiso, cùm missas ad Mariam filiã pro subsidio litteras, quorumdam, qui ditiones has Gallo subdere moliebantur, malitiâ interceptas Gandauenses intelligerent, præcisis Auctorum ceruicibus, publicam iniuriam, nihil eorum gradum, aut potentiam reueriti, vltum iuêre. Principes etiam omni æuo in hanc vrbem venientes magno apparatu, & splendore exceperunt. Cùm *Philippus Primus* singulari pompâ huc aduentaret, iussu publico, per Virginem decentissimam, ei pronunriatum est: *Inueni quem diligit anima mea*. Ita *Carolus Quintus* Princeps visus incolumis

mis omnium oculis lacrymas præ gaudio elicuit, omniumque voce ei adclamatum: *Aduenisti desiderabilis, quem expectauimus in tenebris.* Ita anno seculari Serenissimos Archiduces *Albertum* & *Isabellam* fœlicibus auspicijs in Vrbem aduentantes, ita Regios Præsides aliàs eximiâ congratulatione amplexi sunt; vt mirum mihi non videatur ob hæc tam præclara in Principes merita, eosdem singulari quodam adfectu Vrbem hanc prosecutos, multis eam olim immunitatibus ac priuilegijs, lõnga habitatione, frequente prolium suarum educatione, palatiorum structurâ, pomœriorum amplitudine, alijsque beneficijs exornâsse. Eas Maiorum virtutes vos imitamini, ad nutus Principum viuitis, de salute Patriæ solliciti, in suppetijs publicis munifici estis, & liberales. Conditis Templa, fouetis Monasteria, & quod paucorum furor ante annos aliquot detriuit, insigni zelo restauratis, & quod ab alijs fortè, in nescio quas ineptias, prodigeretur, quod luxu alius, conuiuijsque protereret, quod lucro adponeret suo, Vos Patriæ ornamentis, quod parentes vestri vos docuêre, ac splendori publico impenditis. Ita pergite, & vt solidam nomini vestro gloriam pariatis, quæ à Maioribus accepistis, eadem porrò magnarum virtutum exempla Posteris præbete.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM.

Liber Primus.

Liber Secundus.

Liber

Liber Tertius.

Liber Quartus.

Liber Quintus.

ELENCHVS CAPITVM.

CAPVT

Liber Sextus.

Auctores quibus vsi sumus.

Abrahamus Ortelius.
Adrianus Barlandus.
Adrianus Romanus.
Afligemiensia monumenta.
Andreas Theuetus.
Aubertus Miraus.
Blandiniensia monumenta.
Chronicon S. Bauonis.
Chronicon Bertinense.
Cornelius à Marca.
David Lindanus.
Daniel Heynsius.
Dionysius Harduinus.
Diplomata varia.
Erasmus Roterodamus.
Ferreolus Locrius.
Franciscus Belleforestus.
Franciscus Bencius.
Franciscus Modius.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Sweertius.
Georgius Braun.
Gerardus Mercator.
Gulielmus Gazæus.
Heribertus Rosweydus.
Hubertus Rodolphus.
Iacobus Marchantius.
Iacobus Meyerus.
Ianus Lernutius.
Ioannes Baptista Gramaius.
Ioannes Cognatus.
Ioannes Molanus.
Iustus Lipsius.
Iustus Rycquius.
Laurentius Beyerlinchus.
Laurentius Surius.
Leuinus Lemnius.
Ludouicus Guicciardinus.
Marcus Varnewicus.
Maxamilianus Vrientius.
Petrus Bertius.
Petrus Karius.
Petrus Oudegeerstus.
Pontus Heuterus.
Oliuerius Marcanus.
Sebastianus Munsterus.
Valerius Andreas.

ANTO-

ANTONII SANDERI
PRESBYTERI
GANDAVENSIVM
R E R V M
Liber Primus.

C A P V T I.

Flandriæ descriptio.



LANDRIÆ(*a*)nomen quamuis non magnæ antiquitatis ſit, nulla tamen eius recta poteſt reddi ratio. Alij aliam augurãtur.(*b*)Inter eos nonnulli ab vrbe cognomine, ſita vbi nunc Ardenburgum, appellationem eius deducunt. Alij ſic nominatam volunt à Flandberto filio Bleſindæ, quæ ſoror fuit Clodionis, Regis Galliæ: (*c*) vixit autem Flandbertus anno Chriſti CCCC. XLV. Anonymus quidam Scriptor, qui optimâ methodo regionis hiſtoriam conſcripſit, à Lyderici primi Comitis coniuge Flandrina nomen regioni datum cenſet. Sunt qui à flatu,& fluctibus, ait Petrus Kærius, quorum magna, ob vicini Oceani imperium, vis huic terræ incumbit: adeò vt etiam

(a) *Anno Domini 436. Flãdbertus, filius Bleſindis ſororis Clodionis Regis, ab ipſo Clodione Francorum Rege Auunculo ſuo prouinciam Maritimam ſupra mare ſitam inter Schaldam, & Somonam impetrat, & eam primo à nomine ſuo Flandberto Flandriam vocat. Ita Chron. S. Banonis.* (b) *Regio, & vnde dicta.* (c) *Vide Oudegeerſtum, Mercatorem, Marchantium, & alios, Meyerum præcipue, & nuper de his ſcribentem Petrum Bertium.*

etiam anno cIↃ. CCCXI. in agrorum censu, venditione que caueretur: vt si intra annos decem mare in ea loca exæstuaret, cassus irritusque esset contractus. Cornelius Scepperus doctus, & magni iudicij vir, deriuari censebat hoc nomen, à Germanica voce Flaiddren, quâ sagittæ denotantur. Quod etymon multis placuit, in primis verò Petro Nannio, Scriptori non vulgari: qui sagittas simul, & arcus, in frequenti admodum vsu apud Flandros fuisse ostendit. Ad me quod attinet, ego rem in medio relinquo. Atque hæc de nominis etymo;

Situs. ad situm transeo. Huius regionis appellatio latiùs olim patuit; complexa Artesiam, quæ posteà auulsa, claudebaturque mari Oceano ac fluminibus Scaldi, ac Somona, hodiè Flandriam ad Occasum respicit, cum nonnulla Artesiæ portione; Oceanus Britannicus, siue mare Germanicum: ad Septentrionem idem Oceanus, cum Honta siue Ostio Scaldis, quod Flandriam à Zelandia disterminat: ad Ortum iacent Hannonia, & Brabantia: ad Meridiem denique Artesia, Hannoniaque, cum parte Picardiæ, occurrunt. Patet ergo in longitudinem itinere tridui à Scaldi Antuerpia, vsque ad nouum fossatum mill. pass. xxxiij. Latitudo ab Ortu in Occasum, id est, Ninoua Grauelingam vsque, tantundem ferè itineris, id est, triginta circiter milliaria complectitur. Sunt qui Flandriam olim cum Anglia cohæsisse,

Sed loca vi quondam, & vastâ conuulsa ruinâ
(Tantum aui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferant. cùm protinus vtraque Tellus
Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis
Anglum Flandriaco latus abscidit, aruaque, & vrbes
Littore deductas angusto interluit æstu.

Quàm verè autem id asseratur, non est huius loci, aut

tempo-

temporis disputare. Illud quidem ijdem extra controuersiam ponunt, connexam scilicet aliquando cum Flandria nostra fuisse Zelandiam, & perpetuos anteà sabulosos vtriusque prouinciæ colles anno Christi 980. intermediâ fossâ distinctos iussu Othonis eius nominis Tertij Imperatoris Romani, Galliam interfinio isto ab Imperio separantis. Cœlum regionis totius temperatum, clementissimum autem, ac saluberrimum quà Austrum spectat. Ager fertilis, sationi, ac agriculturæ in genere satis idoneus, alibi verò, & præsertim quà Oceano & Galliæ est vicinus, raræ cuiusdam fœcunditatis. Butyri præstantia, atque excellentia summa in agro Dixmudano, & Furnensi, de cuius bonitate cum quibusuis etiam nationibus in certamen venire non erubescat Flandria. Pascua enim in Flandria læta, hoc autem tractu lætissima. Cuius rei hoc etiam argumentum est, quòd pulli equini ex vicinis regionibus in Flandriam quotannis delati ab Equisonibus, soleant pabuli bonitate, atque aeris suauitate, ex strigosis & macilentis reddi habiliores. Alit item varia animalia domestica saporis delicati, & exquisiti, nec non ferarum copiam incredibilem. Equos etiam generosos, præstantes, scitos, & pernices mirâ quâdam luxurie producit Flãdria: quorum tam insignis, & rara, nec agilitas modò, sed etiam forma; vt licet obesiores aliquanto, & crassiores, multi tamen ad nothos illos (quos vocant) Hispanienses proximè iudicentur accedere. Nec desunt aues, cùm aliæ innumeræ, tum Phasiani, Perdices, Pauones, Ardeę, Ciconiæ. Coluerunt hanc Galliæ Belgicæ partem temporibus Cæsaris, & insecutis aliquot seculis cum alijs, Morini Cæsari, & Virgilio, Plinio, alijsque noti, Ptolemæo, & Straboni μόριγοι Belgij populi, Atrebatibus,

Cœli temperies, Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Ambia-

Ambianis, Neruijs, Oceanoque mari finitimi, quibus breuissimus in Britanniam, nunc Angliam est traiectus: continentes paludes, & syluas habebant: vnde vsque ad paullò remotiora tempora solitam hanc regionem nuncupari Flandriam Nemorosam, nonnulli arbitrantur. Terwanen, Teruanam, eos indigetant Leodius, & alij, quæ in notitia Prouinciarum, Ciuitas Morinorum, id est, Ponticum. Morinorum meminit lapis qui in Getria dimidiato ab vrbe Neomagensi milliario, est repertus. Morini autem cum Menapijs, omni Galliâ pacatâ, in armis erant. Neruij inter Belgas maximè feri, Tacito, Cæsari: Appiano νέρβιοι. Plinius eos Liberos cognominat. Goropius Becanus Oudenarde interpretatur. Marlianus verò eam vrbem autumat, quam Flandri Doornick, incolæ Galli Tournay vocant. Vtrumque Flandriæ Oppidum ad Scaldim situm. Nullus ad hos mercatoribus aditus erat, nihil vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri patiebantur, ne eorum animi relanguescerent, virtusq; remitteretur. Hi νερούσιοι Nerusij à Ptol. vocati sunt, quantum ex III. Europæ tabula conijcere licet. Eorum cis Scaldim, nimirum in Flandria, clientes, Cæsar hac serie recenset; Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos. Centrones, vt ait Goropius, habitabant, vbi hodie Cortracum est. Grudij habitabant, vbi nunc ciuitas viciniaque Brugensis. Sunt qui Louanium, Lueuen, Brabantiæ vrbem ex ijs faciunt, Diuæo teste. At Leuaci, non Louanij, sed ad Slusam, Ardenburgum, Oostburgum, Axellam, morabantur: Pleumosij autem Morinorum finibus proximi, circa Furnam, Honscotam, Dixmudam, & Ypram Flandriæ Occidentalis plagam degebant. Huberto Leodio Cortracum (Cortrijck) tantum est

Vide Cæsarē lib. I de bello Gallico.

Lib. 5. belli Gallici.

eſt ad Legiam fluuium Opidum in Flandria. Gorduni in monte Blandinio Gandaui; vbi B. Petri Monaſterium, & olim caſtellum, ſedes figebant. Hi populi in vnum Flandriæ Comitatenſis corpus poſteà coaluerunt, noua inſuper inſtituta partitione. Factũ id anno D. CCCLXVII. ſub Balduino Ferreo Arduennate, qui Iuditham filiam Caroli Calui rapuit. Sed hæc hactenus; ad imperium Maiorum tranſeo. Primum huius Prouinciæ principem, inter eos quidem, qui nomen, & titulos eius geſſerint, Lydericum Comitem Harlebecanum fuiſſe Annales Flandriæ memorant. Quem terrâ ſiluaque Flandrica donauit Carolus Magnus; vt ex illo tempore non ſolùm maritimus Imperator & littoris Præfectus, ſed etiam Saltuarius Siluæ Flandricæ diceretur. Lyderico Engleranus, Engleranno Odoacer (alij Andakerum vocant) qui, auctore Maſſæo, Gandauum mœnibus clauſit, iactis ibidem templi D. Ioannis fundamentis. Atque hi quidem primi fuerunt Flandrorum Principes, quos alij Comitum titulo vſos, alij verò Cuſtodes tantùm, Præfectos, & Vicarios Regum Galliæ fuiſſe contendunt. Poſt Saltuarios iſtos, numerantur complures ex ordine legitimi huius prouinciæ Comites: inter quos, ſi Annales fortè euoluas, paucos reperies, qui non fuerint illuſtres, & magni Principes. Quique non conſeruauerunt modò acceptam ditionem, ſed magnopere etiam auxerunt. Et quod magis mireris, obtinuit partim coniugij iure, partim virtute, ipſorum ſanguis vniuerſæ iſtius Belgicæ principatum: potituſque eſt regno Hiſpaniæ, totque alijs Regnis, Imperijs, Dynaſtijs, atque Prouincijs. Comites autem numerantur iſti: Balduinus cognomento Ferreus, vir ingenti animo, præualido ac robuſto corpore, vultu decoro, ſtaturâ, ac moribus planè regijs,

domi militiæque longè clarissimus. Quem asserunt quæsiuisse sibi, vel magnopere saltem auxisse hanc ditionem, & supremas dignitates, titulosque obtinuisse. Obijt anno ɪↄcccLxxɪx. Patri Balduino Balduinus II. cognomine Caluus successit. Hic Opidum D. Audomari muro circumdedit, obijtque anno ɪↄccccxvɪɪɪ. In eius locum suffectus Arnulphus, Magnus cognominatus, acerrimus regni Galliæ propugnator: vasto corpore, staturâ eleganti, facie amplâ ac decorâ, consilio, animique prudentiâ principe dignâ. Hic ætate confectus filium suum Balduinum rerum admouit gubernaculis, Comitemque appellauit. Hic fuit vir strenuus, industrius, ac prudens, at breuis æui: cum enim annos omnino tres viuo patre imperauisset, variolis absumptus est anno 961. Post eius mortem Arnulphus pater rursus rerum gubernacula accepit. Qui cùm magno sui desiderio in viuis esse desijsset, post XLVIII. sui principatus annum; Arnulphus II. ei successit. Hic sumptâ virili togâ, excelso semper fuisse animo legitur. Vxorem duxit Rosalam filiam Berengarij regis Italiæ, ex qua filium Balduinum sustulit: plebi iuxtà, ac nobilitati gratus ob peculiares animi dotes. Anno 988. relicto Balduino filio adhuc impubere diem suum clausit. Hic Balduinus cognomento Barbatus, Iustitiæ pariter, ac litterarum studio clarus princeps, Nobilitatem in Flandria omnium primus constituit, Iustitiæ sacra reformauit, homines doctos, & virtutibus celebres passim inuexit. Mortuus anno 1036. Successit huic Balduinus filius, qui à virtute, & morum præstantia Pius, & ab Insula, opido natali, Insulanus cognominatus. Hic si cum superioribus componatur Comitibus, facilè omnium offuscauerit gloriam. Ditioni adiecit Comitatum Alostanum, & quatuor

quatuor officia. In matrimonio habuit filiam regis Roberti, Henrici I. Galliæ regis sororem, qui moriens huic sororio suo, viro (inquit Æmilius) integerrimo, ac fidei sapientiæque perspectissimo, Philippi Hugonisque liberorum, regnique Francici tutelam tradidit. Suppeditauit idem Balduinus magna nauium, copiarumque, & pecuniarum subsidia genero suo Guilielmo Duci Normanniæ in debellanda, & Haroldo, iniusto Coronæ vsurpatori, eripienda Britannia. Cuius tantæ victoriæ præmium retulit, trecentas in annos singulos Marchas argenti, Flandris ab eo regno in perpetuum persoluendas. Etsi pactum illud non diu obseruatum sit. Obijt iste Balduinus anno 1067. Cui suffectus Arnulphus III. qui tantummodo annum vnum, ac menses circiter septem in principatu exegit, in prœlio contra Robertũ Frisium interfectus. Hic Robertus ope Flandrorum Teutonicorum fusis, fugatisque nepotibus, ac Philippo Francorum Rege, Flandriam per vim obtinuit. Idem pace quadã facta cum Balduino Montensi nepote, filiũ sibi cognominem in partem regni cooptatũ Comitem appellat, mandatâque illi administratione Flandricâ, magno comitatu proficiscitur in Syriam, Hierosolymam, & montem Synam visurus. An. 1093. in viuis esse desiit. Eo defuncto filius Robertus II. Princeps longè clarissimus rerum potitur apud Flandros, vnà cum vxore Clementia sorore Calisti II. Hic cognomento Hierosolymitanus ob inclyta sua & heroica prorsus facinora in Bithynia, Syriaque aduersus infideles patrata, ab vniuerso Christianorum exercitu filius D. Georgij salutatus fuit, & ab Imperatoribus primum designatus protector Cameracensis. Obiit an. 1111. Successorem habuit Balduinum, cui cognomen, Securis, principem bello clarissimum. Secu-

ris est cognominatus, siue ab summa Legum seueritate, siue quòd veterum more regum, maxima omnis temporis parte, securim manu gestare consueuisset. Tam seuerè autem administrauit iustitiam, vt præter primum illud cognomen, etiam dictus fuerit eius virtutis parens. Obiit an. 1119. postquam Carolum suum Amitinum, Danorum regis filium, ex asse instituisset hæredem. Carolus hic cognomento Bonus indomitam ad eam diem maritimorum Flandrorum feritatem magnâ seueritate coërcuit, arcuum sagittarumque vsum illis interdixit, gessitque se ita, vt malis esset formidini, à bonis autem impensè amaretur. In huius locum, cùm à Burchardo Stratensi in templo D. Donatiani Brugis crudeliter trucidatus esset, Gulielmus Normannus à patruo Henrico Anglorum rege exactus, ortâ de Flandria controuersiâ, repulsis competitoribus, qui sanguinis propinquitate videbantur præferendi, Ludouici Francorum regis operâ, Flandriæ Comes appellatur, obtrusus potiùs auctoritate Crassi, quàm subditorũ beneuolentiâ receptus. Eo mortuo Theodoricus Elsatius Roberti Frisij ex filia nepos, omnium summo consensu Ordinum rem Flandricam suscepit. Hic magno suorum comitatu instructus, Hierosolymam, ad infideles debellandos, quater profectus est, ac illustre nomen adeptus, ad suos reuersus. Vxorem habuit Sibyllam, Fulconis Hierosolymorum regis filiam. Obiit anno CIↃCLXIX. Patri succedit Philippus, præcipuis à Scriptoribus celebratus præconiis, modoque ob raras virtutes Magnus, modò Gloriosus ab iis appellatus. Magnus etiam fuit, ac suspiciendus apud suos, honoratus, & cultus ab alienis. In aula Francica inter omnes facilè eminentissimus, & Ludouico Galliæ regi eius nominis Septimo tam intimus,

timus, vt nihil ferè is ageret, nisi de huius nostri consilio. Hic è sacro fonte suscepit Regis filium, cui suum nomen indidit. Atque is posteà fuit Philippus Rex, cognomine Augustus: cui, patre iam mortuo, coniugem dedit Isabellam cognatam. Sed orto posteà (vt sunt lubricæ admodum, & funestæ Principum res) super Veromanduorum Comitatu graui inter eos dissidio, ad arma, manusque etiam ventum est. At transactum tamen posteà, cum maximo Philippi Elsatij bono, & in gratiam reditum. Comes otij impatiens in Syriam se ad sacram expeditionem contulit: vbi mira illum virtutis specimina edidisse, atque inter alia, post insignem ab hoste partam victoriam, insignia etiam illa, quibus hodieque vtuntur Flandriæ Comites, retulisse sacri belli Scriptores memorant. Inde in patriam rediens, & Lusitaniam lustrans, priore vxore iampridem mortuâ, secundis nuptijs duxit, & in Flandriam secum vexit Mathildem viduam regni illius Reginam, raræ (vt narrant) formæ, & pulchritudinis fœminam. Tandem verò vnà cum dicto Philippo Augusto, & Richardo Anglorum rege, rursus in Syriam, & sacrum bellum delatus, iamque multis victorijs inclytus, Ptolomaide anno Christi cIↃ. cxc. vel secundum alios, sequenti, peste absumptus est. Philippum fratrem in Comitatu Flandriæ secuta est Margareta: hanc autem Balduinus VIII. filius. Hic post diutina in Oriente cum Saracenis bella, captâ tandem à nostris Constantinopoli, Imperator consalutatus, & inauguratus est Constantinopolitanus an. Christi cIↃ. ccIv. Balduino successit Ioanna Constantinopolitana eius filia, quæ Ferdinando Sanctij Lusitaniæ Regis filio nupsit: huic autem Margareta soror, quæ defuncto iam marito, cum filio natu maximo prudenter, ac strenuè

gubernare cœpit. Eam sequuti sunt Guido à Dominico Petri cognominatus, filius, Robertus nepos dictus Betuniensis: Ludouicus Niuernensis eiusdem nepos. Is successorem habuit Ludouicum II. Maleanum filium, qui & sanguine, & virtutibus gloriosus, ducta vxore Margareta Ioannis III. Brabantiæ Ducis filia; & Ducatum illum, & ditiones ei adnexas cum Flandriæ Comitatu coniunxit. Mortuus anno CIↃ. CCCLXXXIII. relicta filia Margareta, quæ cum Philippo marito Duce Burgundiæ Principatui Flandriæ inaugurata est. Successerunt posteà ex eadem stirpe & sanguine oriundi Duces Burgundiæ, & post eos Imperatores, Regesque domus Austriacæ, de quibus in Brabantiæ descriptione fusè Mercator, Kærius, alijque Cosmographi agunt.

Maiorum virtus.

Flandri porrò ita olim bello addicti fuêre, vt quieti, pacatiuè vix vnquam viuerent; ac Syriam etiam, Terramque sanctam, ac Hierosolymam, eorum arma peruaderent. Flandria diuiditur in partes tres; in Teutonicam, quæ præcipua est, in Gallicam, & Imperialem. Vrbes in ea muro, ac fossa cinctæ sunt xxx. Inter quas tres illæ primariæ, Gandauum, Brugæ, & Ypra, prima parte Flandriæ comprehensæ. Vrbs omnium primaria est Gandauum. Quarto ab hac vrbe lapide Austrum versus inter pagos Sottegemium, & Veltsicham ruinæ conspiciuntur murorum perantiquæ, cum profundis fornicibus, è quibus Numismata Romana Neronis, Gordiani, aliorumque Imperatorum, ad Constantinum vsque Magnum effodiuntur. Brugæ (Brugghe) vel à pontium frequentia nomen habent, vel quod verosimilius, à ponte Brugh-stock, iuxta Oldenburgum & Ardenburgum, è quarum vrbium ruinis ante annos IↃ. CCC. prima Arx Brugensis exstructa est. Sita est tertio milliari à mari, loco

loco plano. Ambitus intra muros eſt 26600. pedum Romanorum, hoc eſt, Italicorum milliarium quatuor cum dimidio; extra verò milliarium paullò minùs ſex. Muris omnium primum eam cinxiſſe Comitem Balduinum Caluum Annales memorant circa ann. IↃ. CCCXC. Vrbs eſt non Flandriæ tantùm, ſed etiam totius Belgicæ amœniſſima, publicarũ priuatarumque ædium in hoc opido (vt Hadr. Barlandi verbis vtar) ſplendor, & magnificentia omnem orationem, omnem dicendi facultatem ſupergreditur. Vt paucis omnia dicam, totus hic locus paſcendis oculis, reficiendis animis dicatus eſt. Templa habet LX. quorum præcipuum & auguſtiſſimum eſt S. Donatiani, olim ſacrum B. Virgini, exſtructum à Lyderico, Flandriæ Comite, an. IↃ. CXXI. Opibus in tantum floruit, vt Ioanna vxor Philippi Pulcri Regis Galliæ, quum huc veniſſet an. CIↃ. CCCI. vidiſſetque virginum & matronarum ornatum, ſtupore primùm, poſteà muliebris æmulationis æſtro percita, conqueſta ſit, non ſe ſolam Reginam eſſe. Quæ res poſteà non vrbi dumtaxat, ſed & toti prouinciæ grauiſſimas peperit calamitates. Opificiorum genera in hac vrbe exercentur LXVIII. Et in hac rerum copia neque flumen habet, neque portum, neque fontem. Foſſa eſt humanâ induſtriâ ducta, ipſi Reye vocant, quæ per totam vrbem diuiſa, ad Sluſam ſeſe exonerat in Oceanum. Et quia hæc maioribus nauigijs nondum ſufficiebat, aliam in longe maiorem altitudinem perduxerunt, oppoſitiſque cataractis à mari diſcluſerunt. Sunt & huius vrbis ciues bello, Imperio, literis celebrati. Huic natales ſuos debet Philippus Bonus, Maximiliani Romanorum Regis F. Caroli V. Imperatoris pater. Debent Iacobus, & Petrus Curtij, Iudocus Damhouderus,

rus, Iacobus Reuardus, Dominicus Lampſonius, Ioannes Caſenbrotius, Marcus Laurinus, Franciſcus Nanſius, Ianus, ac Iacobus Lernutius, Bonauentura Vulcanius, Petrus Coluius, alijque permulti: Ludouicus etiam Viues, natione Hiſpanus hac ciuitate honoris gratiâ donari voluit, in qua poſt elucubrata aliquot ingenij ſui monimenta obiit, an. CIↃ. XL. Porrò tanta olim huius vrbis in mercaturis potentia fuit, vt cum quauis alia totius Europæ vrbe conferri poſſet. Brugenſes primi Caſſiterides (Hiſpanis Azores) Inſulas in Oceano inuenerunt, quæ propterea Flandricę vulgò dicuntur: ijdem Burſam primi Mercurio ſacram habuerunt, à qua poſteà Antuerpiæ, Rhotomagi, Londini, & in alijs vrbibus mutatis rerum vicibus loca mercatorum conuentui deſtinata nomen traxerunt. Brugæ ſecundum Flandriæ membrum conſtituunt, ideoque, ſolo Gandauo excepto, reliquas huius regionis vrbes præcedũt. Yprę nonnulli Scriptores Hiperborum quemdam Anglum militum Ducem, nomen indidiſſe hariolantur. Sed potiùs à riuulo Ypra præterlabente nomen habet. Exſtructa eſt an. IↃ. CCCCLX. à Balduino, Arnulphi Comitis filio, vt Maſſæus tradit. Diſtat Brugis 9. Gandauo verò circiter 13. milliaribus: Eſtque opidum non tam mœnibus, alijſque ab arte munitionibus, quàm naturâ loci firmiſſimum: cætera lautum, pulchrum, amœnum, & ſic ſatis etiam opulentum. Templa Cœnobiaque habet pulchra & ſpecioſa. Et primarium quidem D. Martino dicatum, ac diſtinatum Patrum memoriâ Cathedræ noui Epiſcopatus in hac vrbe inſtituti. Huius vrbis fundus dicitur eſſe plumbeus, idque propter magnam plumbeorum tuborum vim, quibus aqua variè per ciuitatem vniuerſam diſtribuitur. Forum, quod vulgò vocant, de Heeren-

De his particulatim alibi.

Heerenplaetſe, Ypræ longè ampliſſimum, ac mirabile, ita vt vix vlli in Belgio foro cedat. In eo ſunt Halæ, quas vocant, vetus ſanè, & pulchrum tribunal; eſt & illud quod Curiam Yprenſem, vulgò de Sale van Iperen vocant, cuius Iuriſdictionem ſeptem territoria (Caſſelrien vulgò) agnoſcunt, quorum ſingula quam latè pateant, ex eo iudicari poteſt, quòd vnicum territorium Caſſelanum ſub ſe habeat fora iudiciaria XXIV. Ypra tertium Flandriæ membrum conſtituit, & Vicecomitatus titulo illuſtris eſt. Magna eſt huius vrbis iuriſdictio, magnum Imperium. Ager vrbi circumiectus totius Teutonicæ Flandriæ præſtantiſſimus, fertiliſſimuſque. Lanearum telarum mercatu, opificioque fit celebris vrbs eſt, neque minus, ſubſerici pannis generis, quos eadem apparat, vulgò Saiæ, & Saiettæ dicuntur. Incolæ denique probi, ciuiles, & pacis magis, quàm belli amantes. Atque hæ quidem ſunt vrbes primariæ. Portus ſequuntur, Sluſa, Oſtenda, Neoportus, Dunkercka: Sunt præter has in Flandria Teutonica plures aliæ vrbes, & opida, quorum pleraque in eadem deſcriptione referemus; ſingula enim perſequi prolixum foret. In Flandria verò Gallica ſunt, Inſula, vulgò L'Iſle, à veteri poſitione ita dicta: erat enim olim ſtagnis, & paludibus cincta. Vrbs frequentiâ ciuium, opibus, legibus ornatiſſima, & quidem poſt Antuerpiam, & Amſtelodamum, omnium Belgicarum vrbium potentiſſima. Conditor eius Balduinus Barbatus Comes anno ſupra milleſimum ſeptimo. Sedes hic Cameræ rationum, quam vocant, cuius permagna auctoritas: cui ſubſunt tota Flandria, Arteſia, Hānonia, Valencennæ, Tornacum, Tornaceſium, & Dominium Mechlinienſe: quæ omnes accepti expenſique rationes huic Collegio reddunt. Duacum (Douay)

 ſedes

ſedes olim populorum, auctore Marliano, quos Cæſar Catuacos vocat. Sita eſt vrbs ad flumen Scarpam, quod variè eam interluit, loco fertili. Lauta porrò, & valida, fontium copiâ, & domorum quantumuis veterum elegantiâ, & ſplendore conſpicua. Templis item pulcherrimis exornata: inter quæ poſt DD. Petri & Amati eminet illud B. Virginis, antiquum, vt quod conditum ſit regnante in Gallijs Clodouæo, anno circiter 1ↄ. ab Arcanaldo regni illius Comite ſtabuli. Hæc Roberti Gaguini patria eſt. Academiam habet paucis ab hinc annis à Philippo II. Hiſpaniarum Rege ibi conſtitutam. Eſt Duaci Emporium, ſiue ſtapula tritici, è finitimis aliquot regionibus eò conuecti. Vigent item hîc artes mechanicæ, & in primis Textura. Orchianum (Orchies) etiam in hoc tractu eſt, bonum, & validum opidum: Lannoyum celebre dominis, & ciue Franciſco Raphelengio, prætereà Eſpinoyum principatus titulo inſigne, & Armenteria (Armentiers) municipium elegans. Eſt & Tornacum (Tournay) à Torno quodam Duce dictum (vt fabulatur Amandus Zyricæus) quum priùs Hoſtilia, & Neruia appellaretur. Petrus Apianus Baganum Ptol. interpretatur. Quicquid ſit, vrbem admodùm antiquam eſſe conſtat. Poſita eſt opportuno admodum loco ad Scaldim, qui hanc vrbem perlabitur. Vrbs pulcherrima, ampla, opulenta, potens, contráque hoſtium incurſus munitiſſima. In Imperiali denique Flandria eſt Aloſtum, ciuitas lauta, & munita ad Teneram fluuium. Frequentatur valdè ob celebrem lupi ſalictarij mercatum, cuius in coquenda ceruiſia præcipuus vſus. Comitatus titulo inſignis eſt. Pagos ſub ſe habet CLXX. Principatus duos Steenhuſenſem, & Gauerenſem, Baronatus complures: Ninouam etiam, & Gerardimontium,

tium,de quo proximâ deſcriptione. Aloſto oriũdus fuit Cornelius Graphæus: fuêre & Nicolaus Stopius, Arnoldus Meermannus, & Petrus, qui propterea dictus eſt Aloſtanus, pictor, & architectus nobiliſſimus. Sunt præterea in ea Comitatus parte, quam proprium vocant, Teneramunda ad Tenerę amnis os ſita, vnde & nomen habet. Opidum ſitu, & arte munitiſſimum: Gerardimontium ad eundem Teneram ſitum, Flandris Geersberge, perexiguum quidem, ſed amœnum valde opidulum: Rupelmonda ad Rupelam fluuium arx eſt, cui pulcher, & amplus pagus adiacet, hoc loco minimè omittendus, vel propter Gerardi Mercatoris illuſtriſſimi Mathematici, & Coſmographi, ac noſtri ſæculi Ptolemæi, memoriã. Præter vrbes quas ſuprà enumerauimus, ſunt etiam in Flandria municipia patentia, quę vrbibus neque nobilitate, neque priuilegiorum dignitate, neque ſtructurę magnificentiâ, neque frequentiâ municipum cedunt; Bella, Poperinga, Hondtſcota, Ecloa, Giſtella, Middelburgum, & alia xx. pagi vniuerſim CIↃ.CLIV. vt non immeritò triuiali prouerbio dicatur, Flandriam omnes totius Chriſtiani orbis Comitatus ſuperare; & Hiſpani quum in hanc prouinciam cum Philippo Rege venirent, iudicauerint totam Flandriam continuam vrbem eſſe. Flumina ſcindunt eam, beantque plurimum Scalda, Liſa, qui & Legia, Tenera, Liuia, Ypra, Aa, Scarpa, Rupela, & alia. Montes hîc perpauci memorandi, ſed amœni complures, in Gallicana potiſſimum, colles. Siluæ autem plurimæ, eæque valde vtiles, & amœnę, inter quas Niepa, & Nonna principes. Quod ad ſtatum huius Comitatus politicum attinet, is conſtat trib. membris. Sunt autem Eccleſiaſtici, Nobiles, Ciuitates. Eorum hunc Syllabum debemus Petro Oudegerſto.

Ab aliis ciuitas Rupelmonda habetur.

Flumina.

Montes.

Siluæ.

Ratio gubernandi.

Primum membrum constituunt Prælati Ecclesiastici. Suntque Ordinis S. Benedicti Abbates VII. S. Petri, & olim S. Bauonis Gandaui: S. Winoci Bergę: S. Andreæ iuxta Brugas: S. Adriani Gerardimontij, Eename, Marchiennes. Ordinis S. Bernardi Abbates V. Ten Dunen, Boudeloo, Doest, Claromorez, Los, & Prioratus in Waerschot. Ordinis Præmonstratensis Abbates tres, S. Nicolai in Vuerne, Drongene: S. Cornelij, in Nienoue. Canonicorũ regularium Abbates, Eechoute, Soetendale, Warneston, Sunnebeke, Cisoing, Falenpin. Eiusdem Ordinis Pręposituræ, S. Marten in Iperen, Vormeseele, Watene, Loo, Euerham, Petendale. Secundum membrum Nobilitas. Suntque Vicecomitatus V. Gendt, Yperen, Vuerne, Bergen, Haerlebeke. Marchionatus, Robais, Rene. Comitatus, Isegem, Anappe, Moerbeke ab Archiduce erectus. Principatus III. Steenhuyse, Gauere, Espinoy. Barones IV. (ijs exceptis qui aut nuper, aut patrum memoriâ, quales Wacquen, Ekelsbeke, &c. instituti) in Comitatu II. Cysoing & Heyne: in dominio II. Pamele in Oudenaerde & Boulaerde. Tribuni Militares, Baenderheeren in Comitatu Teutonico, Domini de Neuele, Dixmude, Beueren, Praet propè Brugas, Haueskercke, Watene, Heuerghem, Waestine, Caeeten, Ingelmunster, Poucke, Gruithuse, Male, Maldeghem, Oostcamp, Winendale, Colscamp, Ghistele, Seuecote, Halewijn. In Comitatu Gallicano, Castellanus de Lisle, Domini de Waurain, & Comene. In dominio Flandriæ Domini de Rode, Gauere, Sottegem, Goutere, Scorisse, Poitz, Liekercke, Lumbeke, Roiselaer in Meerbeke, Wedergraet in Neyghem, & Steenhuse. Tertium membrum sunt præcipuæ ciuitates. In Flandria Teutonica IV. præcipuæ ciuitates hoc membrum repræsen-

præſentant: Gandauum, cuius ſortem ſequuntur, in Comitatu Burgrauiatus Gandenſis, & Caſtellaniæ Cortracenſis, ac Oudenaerde, & Biervliet. In Dominio quædam ſunt feuda Imperij, vt IV. Officia, Terra Waſia, Comitatus Aloſtenſis: alia libera dominia, vt Bornhem, Teneramunda, Gerardimontium. Brugæ, quarum ſortem ſequuntur in cenſu, & armis, ſunt poſt IV. Officia ad Neoportum vſque totus videlicet Franconatus (het Vrije) opida eius clauſa, & non clauſa. Ypra ad quam referuntur in cenſu, & in armis, Yperen Ambacht, Bellen Ambacht, Caſſel Ambacht, & Burburg Ambacht. Quamuis verò hi tres ſint Ordines, Gandauum tamen (Guicciardino referente) Brugæ, Ypra, & Franconatus, quem vocant, quia ſingulari quadam pollent auctoritate, quatuor membra dicuntur, De vier Leden van Vlaenderen. Neque ſolent hi quos diximus Ordines publicis Flandriæ Conuentibus, niſi admodum rarò adeſſe, quia nimirum deſtituuntur iure ſuffragij. In Gallicana Flandria membra ſunt III. ciuitates principales, Inſulà (L'Iſle, ſiue Ryſſel) Duacum (Douay) & in territorio multi pagi, vulgò dicti La Gouuernance, & in territorio Baliui Ciſoniæ, Falimpinæ, Comines, Robaix: Orchianum (Orchies) Abbatię, Ciſoing, Falenpin, Los, Marquete. Et dominium Tornacenſe, & ſtatus Flandriæ annexus, per ſe conſtat tribus membris, Eccleſiaſtico, Nobilitate, & IV. ſupremis iuſtitijs. Ad ſtatum Eccleſiaſticum quod attinet. Vnum habet Flandria veterem Epiſcopum Tornacenſem, Archiepiſcopo quondã Rhemenſi, nunc Cameracenſi ſubiectum. In v. tamen Diœceſes Epiſcopales diuiſa erat. Traiectenſi ſuberant 4. Officia, Hulſta, Axella, Aſſenetum, Bochouta; Tornacenſi Gandauum, Cortracum, Aldenarda, cum illarum

 caſtel-

castellanijs: Territorium Wasiæ: Brugæ, Franconatus, & Insula cum sua castellania. Atrebatensis comprehendit Duacum, & Orchiacum. Cameracensi subest dominium Flandriæ vltra Scaldim versus Meridiem. Taruannensis habet castellanias Yperen, Cassel, Vuerne, Berghen, Brouckborg, Belle, ante erectionem nouorum Episcopatuum. Nunc enim Gandauum, Bruga, & Ypra Episcopos suos habent. In Flandria porrò Teutonica, quoad iurisdictionem sunt XIV. principales Curiæ Comiti feudales, Viesburg Gandaui, Burgus Brugis, Sala Ypræ, Castellum Cortraci, curia in Harlebeke, in Tielt; domus in Deinse, curia in Petegem, dicta Beaulieu, & domui Deinse subiecta: Tribunal Aldenaerdæ. Burgus in Vuerne, curia in Bergen, Brouckborg, Cassel, & Belle. In Flandria verò Gallicana sunt III. curiæ Comiti feudales, Sala Insulæ, Castellum Duaci, Curia Orchiani. In Flandriæ denique dominio sunt IV. curię Comiti feudales, Tribunal Alosti, Domus Teneramundæ, Prætorium Wasiæ apud Sanctum Nicolaum, & Castrum Beueren. Ex omnibus autem curijs, & iurisdictionibus dictis appellatur ad Consilium Principis prouinciale, quod est Gandaui, inde ad Parlamentum, quod est Mechliniæ. Habet etiam Flandria, exemplo Gallorum, duodecim Pares: quos nonnulli adfirmant, sed infirmis, nec verisimilibus argumentis, esse Galliæ Paribus antiquiores, Gallosque à Flandris sumpsisse exemplum: non aliter (inquiunt) quàm nobilissimam illam Militiam aurei velleris scimus Ordinem D. Michaëlis ætate præcedere. Quam litem decidit fortasse Budæus, qui Comitem quendam Flandriæ refert ad Gallorum exemplum instituisse aliquot Palatinos, eosque vocasse Pares Nigellanos. Habet & Comitem stabuli, duos Tri-

bonus

bunos militum, quos Mariſchalcos vulgò nominant: Magnum venatorem, Cancellarium, Cubicularium: xv. denique Receptores, ſeu Præfectos Aerarij, alioſq; id genus Miniſtros,& Magiſtratus principales: quorum ſingulos,dignitatum ſuarum,& munerum ratione,oportet hæreditariam aliquam Toparchiam in Flandria poſſidere; prout videre eſt ſigillatim,& ordine in peruetuſta quadam,& authentica tabula, quæ Gandaui apud Dominicanos viſitur, picta (vt volunt) æuo Balduini Ferrei, primi Flandriæ Comitis, cum hac inſcriptione: Inſtitutio Comitatus Flandriæ, more Quiritum; ſed hæc hactenus. Bibliothecæ fuerunt in Flandria variæ. Inter quas eminebat ea, quæ erat in Abbatia D. Petri Gandaui in monte Blandinio, Librorum omne genus præſtantiſſimorum cenſu, tam manuſcriptorum, quàm typis editorum inſtructiſſima. Erant & aliæ apud Dominicanos, Carthuſianos, & Carmelitas. Et florebat ſanè hoc tam præclaro theſauro Gandauum, ſupra omnes, quotquot ſunt, vrbes Belgicæ. Reliquas prætereo. Ad Flandrorum mores venio, de quibus dicam, Iacobo Marchantio verba præeunte. Gens Vlamingorum, inquit, moribus eſt, vel exterorum Scriptorum teſtimonio, ex Germanica grauitate, & Gallica alacritate temperatis, totam aut ſeruitutem, aut libertatem pati neſcia: ædificandi eleganter, & commodè curioſa: interſtitio parietum metiente longitudinem cantheriorum, in culmine ſic coniugatorum,vt angulos faciant acutos, ad iuuandum pluuiarum præcipitium, ventorumq; impetum extenuandum: domeſticę ſupellectilis copioſę, veſtitus apti,ſumptuoſi,& variabilis, culinęque in longum tempus, bouina porcinaque ſalitis, prouidendæ ſtudioſa: manu prompta, & bellicoſa,niſi opibus,luxuq;

(vt

(vt olim ex Crœsi consilio, Sardes) eneruaretur: natiuo, & exotico sermone diserta, artium capax: neque, vt quædam fruges, degenerans, imò permaturescens in alieno solo; ac, seu inter metalla Mercurialis, cunctis sese nationibus facillimè accommodans. Pictura, sculptura, agricultura, ceterisq; artibus manuarijs, & Rythmicorum per homœoptota Flandrica cadentium, argutiâ, ac musicorum acri, dulcique normâ efflorescit. Viri sunt staturâ decenti, vultu flammeo, ingenijsque ad omnes scientias, & disciplinas appositis: nisi luxu, velut in herba, aut lucrosis artibus, protererentur: plerumque aperti, promptumque vultu cor gerentes; sanguinis enim, spirituumque motu genuino fit, vt cito & virtutis purpurâ erubescant, & alijs perturbationibus commoueantur: at humidiore corporum calore efficitur, vt ad accipiendam, & deponendam offensionem sint molliores. Symposijs, mutuisque inuitationibus gaudent, & incalescunt, sæpè ad ebrietatem, rixas, cædesque, sæpiùs ad beneuolentiam ineundam, aut recuperandam: ceu caristijs & philothesijs efficacibus, vsque adeò, vt illis grauissimæ simultates, cædesque datis mutuis dextris obruantur, & absque illis nulla reconciliatio firma sit, & velut sigillata. Hoc gemendum est, tot permitti popinas, ebrietates, libidines, aleæ officinas, vt patrimoniorum, coniugiorumque carcinomata: atque etiam multis non modò in vsu conuiuali esse capacium poculorum ingentes, mutuosque haustus, sed in gloriâ poni, ceu probato animi, ac cerebri speculo, corporisq; firmitate: defendique exemplis, vel gentium Arctoarum, à quibus ille mos huc serpsisse videtur: vel Græcorum, vnde Pergræcandi prouerbium, vel Romanorum, apud quos Torquati, Pisones, Antonij, Cicerones,
Claudij

Claudij eâ laude ſeſe venditabant. Non abhorrent à ſubitaneis conflictibus: Belgis enim à Belgen, aut Balgen, quorum illud iraſci, hoc pugnare ſignificat, nomen indit doctiſſimus Goropius. Longiùs abſunt ab homicidijs præmeditatis: quæ, niſi tutelæ inculpatę neceſſitate eluantur, cuiuſcumque modi ſint, ſupplicio non eximuntur, niſi vel fugâ, templorumque aſylo, vel principis condonatione, occiſique proximo conſanguineo tranſactione, & ſupplici ingeniculatione placato. Fœminæ pari ferè colloquiorum, conuiuiorumque virilium familiaritate, atque pudicitiâ, formæ, ſermonis, amictuſque ſuauitate, œconomiæ procuratione, ſolertique labore commendantur. Nam aut penſa trahunt, aut rotulâ verſatili in cannas fila agglomerant, aut pepla ſpectabili arte conſuunt, exornantque, aut lineas veſtes ad ſolem, vndarum aſpergine, candore inficiunt: aut ruri lacti emulgendo, butyroque extundendo, verſandóve, & formando, aut caſeo coagulando, comprimendoque operantur. Litterarum formandarum, rationumque ſubducendarum, præſertim in opidis, non imperitæ. Improbam mendicitatem plurimi Magiſtratus excludunt: ſenio, morbo, vitióve corporis laborantes, admittunt: Ciuium tenuiorum liberos ex publico alunt, veſtiunt, litteras, aut opificia docent: Alienigenas Xenodochijs recipiunt, validos vnam noctem, ægros quoad reualeſcant: ex antiqua vereque Chriſtiana inſtitutione, & conſuetudine. Flandri ſi crus fregerint, ſe felices clamitant, quòd collum non ruperint: ac vniuerſim, ſi quid improuiſi incommodi accidat, quòd duriùs non affligantur, ſe dicunt fortunatos. Pecunias in vſuras extendere, infame; ſed ne otioſæ maneant, fundo hypothecæ oppoſito, neque luendo niſi debitoris arbi-

 trio,



trio, seruatur vsura semissis, exceptâ Mercurij prole, in amplis Emporijs mercaturam faciente, cui plus licet, aut lubet. Innotuit (Flandria) tum suis, tum ferè totius Europæ foris, equorum præstantium, boum opimorum, butyri sapidissimi, alecum, aliorúmque piscium aptè salitorum mercimonijs: telarúmque, partim linearum, varietate, candore, subtilitate, & quasi flosculis; partim xylinarum, quas Arabes Bombaxinas vocant, diuersimodis textrinis expetitis, sericisque textis non omninò contemnendis: partim pannorum laneorum tum densorum, tum leuidensium texturâ, tincturaque proba, & vbique terrarum iam laudata: cæterisque mechanicis artibus ingeniosis, ac laboriosis Aulæorum denique Tapetiúmque artificijs, & velut picturis admirandis. Ex lini, & rapi seminibus, nucibúsque iuglandibus oleum extundunt: sal crudum, pullum, asperúmq; ex Gallia, Hispaniáque aduectum, in magnum candorem, saporem, augmentúmque amplis sartaginibus excoquere non ignorant. Haleces sub Angliæ, Scotiæque oras, ab Augusto in Autumnum capiunt, illuc infinito exercitu circa littora appellentes, ad euitandum maris Septentrionalis, vbi nascuntur, gelidissimum frigus: dein captos, statimque deserto Neptuno expirantes, exenterant, inquit Kærius, condiunt, stipántque cadis salsamentarijs, sigillo opidorum vnde aduehuntur, inustis, priùs ex lege exploratos: vel leuiter salitos, fumo durant, inficiúntque colore soro, qui Gothis (teste Hadriano Iunio) subrufum sonat, ad atrum accedentem: vnde equis soris in Italia, & halecibus soretis in Gallia nomen est, & apud Veteres (teste Atheneo) ab æris colore, Chalcidibus.

Mercimonia.

Olim magis, præsertim Dunkerkani, nūc ob infestum bellis Oceanum non licet.

CAPVT.

CAPVT II.

Elogia quorundam de vrbe Gandauensi.

PRimaria Flandriæ vrbs, est Gandauum, cuius ciues frequentiâ, nobilitate, opibus, animis sunt eximij.

Petrus Bertius Regis Gallorum LVDOVICI XIII. Cosmographus.

Gandauum ciuitas, quoad situm munitissima, & perampla, ita vt inter maximas Europæ vrbes debeat connumerari.

Adrianus Romanus Canonicus Herbipolensis, & Mathematicus celebris in Theatro vrbium.

Gandauum magnitudine, & trium fluuiorum confluentiâ spectabilis Flandriæ vrbs.

Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico.

Gandauum ciuitas ampla, & bene munita. & paulò post: *Ciues habet locupletes, qui pro magna sui parte viuunt ex censu, & redditibus. Abundat opificibus, potissimùm textoribus, qui varia pannorum, & linteorum genera perficiunt.* paulò post iterum: *Communi opinione, & doctorum hominum auctoritate, inter omnes etiamnum constat, hanc vrbem vetustate esse commendatissimam.*

Sebastianus Munsterus in Cosmographia.

Vrbem fluminibus nobilem, amœnam, spatiosam, innumeris, cultisque domibus, facundia virorum ingenijs, antiquis moribus,

bus, frugalibus magè, quàm parcis, cælo perquàm benigno nominat.

Barlandus in Indiculo vrbiũ Belgicarum.

Non arbitror quaqua patet Christiana ditio ciuitatem reperiri, quæ cum hac conferri queat, siue spectes amplitudinem, siue politiam, siue gentis indolem.

Erasmus Epist. ad Vtenhouium.

Suspicio in Gandensi vrbe amplitudinem, populo industriam, Clero maiestatem, in historia res gestas, etiam, si ab æquo indice censeantur, quibusuis veterum conferendas.

Iustus Lipsius.

Dij boni! quam, quantam, qualemque vrbem! in qua orbem video, & in orbe miraculum.

Martinus Hamconius in Dialogo cum Gramaio de rebus Gandauẽsibus c. X.

A Gandensibus ista potius quærenda, qui vt viros omni litteraturâ clarißimos, ita in hac palæstra populari versatißimos habent innumeros.

Ioannes Baptista Gramaius ibidem.

Gandauum vidi Iulio Cæsare conditore superbum.

Petrarcha epistolâ ad Cardinalem Columnam.

Nec inani gloriâ (ait Gramaius) *cùm indies ager castello olim Gandensi obnoxius, infinita Romanæ antiquitatis eruat monumenta.*

Anno D. CCCCLXV. *sub Arnulpho Magno Balduini Calui filio*

filio à tribus Francorum, Anglorum, & Scotorum Regibus obsessa Ganda perstitit inuicta.

Marchantius, & alij.

Meminisse non potero, quâ totius patriæ laude, Gandauum Flandriæ caput, inter vrbes totius orbis fortissimas à Gallo ipso Historico quondam numeratum sit; ac mihi profectò species quadam, audacter dicam, veteris illius Romæ semper visa; dum præsertim quemadmodum illâ pugnante ad vnam portam, & inuadente victoriosissimo Hannibale, alterâ nihilominus fiduciâ maximâ militem, & auxilia in Hispaniam emittebat. Ita hæc Ganda nostra anno post millesimum trecentesimum septuagesimo nono, cum sexaginta hominum obsessa esset millibus, duas interim vicinas vrbes vno, eodemque tempore emissâ validissimâ manu aggrediebatur, &c.

Auctor Iudicij panegyrici quadrimembris Flandriæ.

Delitium terræ, Flandri caput orbis, ocellus
Belgica, & enixo Cæsare virgo parens,
Concilio illustris, bello horrida, florida pace,
Pulchra situ, fœlix aëre, diues aquis,
Gandaum breuiter. Nil vltrà quære, nec vrbem,
Verùm orbem, in tanta mole videre puta.

Aliud.

Roma suo Tiberi formosa, Colonia Rheno,
Londinum Tamesi nobile ab amne tumet:
Sequana Parisios, Grudiorum Dilia Athenas,
Leodium lato limite Mosa secat.
Pulchræ omnes, amplæque vrbes, pulchra omnia, & ampla
Flumina distinctis singula quæque locis.
Vnam sed Gandam iuncto simul agmine ditant
Oceanus, Scaldis, Linia, Lisa, Cala.

Iupiter hanc molem, purum dedit aëra phœbus,
Florida prata Dryas, cærula Nais aquas.

Maxæmilianus Vrientius.

Diuorum Genitrix, hominum suprema voluptas
Aspice quàm latè regia Ganda patet.
Longum iter est, quodcunque vides, stat Cæsare digna,
Et regni ante oculos totius instar habet.
Bis duo concurrunt fluuij, venturus in vrbem
Rex Scaldis Comites tres sibi iungit aquas.
Ipsa parens, nutrixque sui est, sibi sufficit vndam;
Vrbanus segetem sponte ministrat ager.
Hinc domus Astrææ populis dat iura, forumq;
Hinc Mauors valida clausus in arce sedet.
Septem vrbes vrbs vna æquat; si pœnitet vrbis,
Rus pete, rus ingens vrbs tibi nostra dabit.
Murorum oblitus formosos incolis hortos,
Et prope iam nostris mœnibus illa capi.
Contraxit natura orbem, tam prodiga nusquam est,
Totius specimen molis in vrbe dedit.

Daniel Heynsius Gandensis.

Si triplices lymphas, & vitrea regna viator
Adspicis, hic solam Naïn habere putes.
Si virides Gandæ fluuiorum in margine ripas,
Cum Zephyro cultam luxuriare Napen.
Si volucrum liquido resonantes murmure lucos,
Hæc domus est fuscis, inquis, Hamadryadis.
Si diuum ingentes numerosis turribus ædes,
Vnica relligio mœnia tanta colit.
Si roseos iuuenes, & lactea colla puellas,
Non alium credas Cyprin amare locum.

Si

Si facunda virûm ingenia, ingenitamq; Suadam,
Pallada non alibi, Mercuriumve petas.
Si grandeis in bella animos, generosaque facta,
Martis, & Alcidæ robur inesse putes.
Denique Gordunâ, quicquid miraberis vrbe,
Aut Deus, aut aliquo pars habitata Deo est.

Iustus Rycquius Gandensis.

Felix Gandauum, Flandri caput orbis, honosque!
Olim Clarineæ quam posuêre manus.
Seu libet auctorem potiorem agnoscere Caium:
Cæsaris auspicijs fama tibi orta vetus.
Quæ modò macta volat, nomenque tuum omnibus oris
Dedit ouans, quà sol occidit, aut oritur.
Tu bello, tu pace potens, nullique secunda
Iustitiâ antistas, & pietate viges.
Te facilis frugum tellus, te liquidus aër,
Mitisque, & rerum copia larga beant, &c.
Tempus erit, nec prisca oberunt, miraculum in orbe
Gentibus octauum cùm memorabile eris.

Ianus Lernutius.

Tacebo, quibus armis Franciscus Ackermannus vir Gandensis, vt contra Pompeianos alter Scæua Cæsarianus, centies mille Gallorum insultus in opidulo Dammensi, & fortissimè sustinuerit ad extremum vsque commeatus defectum, & felicissimè cum suis euaserit incolumis.

Auctor Iudicij panegyrici quadrimembris Flandriæ.

Ea fuit tuorum inaudita virtus, Ganda, vt soli vnius vrbis incolæ viginti quatuor hominum millia, tum peditum, tum equitum

equitum Anglorum inuadere non dubitarint, ex vrbe profligarint, septingentorum, & amplius cædem ediderint: cùm ex Hibernis illi ob inducias cum Gallo pactas exituri, vrbem totam sibi prædam putassent, igne quatuor partibus submisso. At certè interfecturos fuisse Gandenses tot, quot erant millia, scio: nisi Principis sui benignitate, & precibus moti, à persequendis proditoribus destitissent.

Idem.

Ego enim Flandria, quemadmodum bene Polybius Reip. partes sic vult esse dispositas, vt nemo constanter dicere possit, an tota illa Resp. vel Aristocratica sit, vel Democratica, vel Monarchica; sic in te penè vna Europæarum Regionum reperio Principum inuiolatam Maiestatem, Optimatum seruatam auctoritatem, reliqui populi florentissimum vigorem semper extitisse.

Idem.

An non ita Gandaui Carolum Bellicosum, quanquam in Burgundia natum, educari voluit Philippus parens (vnde & ipse ab anno ætatis octauo puerilem educationem acceperat, vt Carolum Maximum taceam) & Mariam Carolus, vt gloriæ sibi ducerent, posse se Gandaui alumnos vocitari?

Idem.

Laborârunt aliquando tristi illâ schismaticâ peste vicinæ Regiones, adeoque à Romana Ecclesia per impietatem auulsæ. Quid Flandria nostra, quid tunc egit? quâ virtute pestiferam contagionem effugit? quâ constantiâ Rom. Pontifici, quem verum vnum Christianorum omnium parentem Vrbanum Sextum, varijs ad varios principes, beata præsertim illius Catharina Senensis litteris, & verè intellexerat; vni Romano Pontifici quam mordicus adhæsit? minis, ferro, igne in suam factionem vrgebat Gallia, sed ab auita Romana Ecclesia communione Flandriam dimouere nunquam potuit, ac constanter nostra principis

sui

ſui ore inquit: Duos ſummos ſacerdotes non capit orbis. Schiſmaticos quoſdam Gallia in templa intruſerat vi, dolo per reliquam quidem Flandriam; at Gandaui nunquam.

Idem Panegyriſtes.

Gandauum amplitudine, antiquitate, populo frequente, & induſtrio, ingenijs ad ſtudia litterarum natis, idiomate Flandrico, fluentibus aquis, terris ciuium iuri ſubditis, lanificio ac textura (ita olim) lineis etiam telis, piſcium abundantiâ, aëris ſalubritate, inter omnes orbis Chriſtiani eminet ciuitates.

M. Varnewicus L. 4. Belg. Antiq. cap. lvj.

Gandauenſes ſanctione Philippi anno 1430. xij. Auguſti, vt Flandrorum antiquiſſimi, per vniuerſam Flandriam primas tenent.

Idem ibidem.

Gandauum ſanè inter fortiſſima orbis opida recenſendum; neque enim circumſideri vndique poteſt, niſi ducentis hominum millibus ambiatur.

Froiſſardus in Annalibus.

Illinc digreſſum Gandenſia mœnia gaudent
Flandrorum in Domino te tenuiſſe ſinu.
Auguſtum quorum tu demiratus honorem,
Huc tot conuerſis creſcere fluminibus;
Cæſaris huic pronus das natali oſcula terræ,
Quem magni imperium tunc penes orbis erat.
Et tanti venerans cunabula principis, illis
Gratatus patriæ ſuſtinuiſſe patrem.

Franciſcus Modius Brugenſis odœporico
Eraſmi Neuſtetteri.

Ganda decor Flandris, ſuperis ſtupor, hoſtibus horror,
Auguſto cunæ, principibuſque domus.

Iuſtus Rycquius.

G *Atque*

Atque hæc quidem Remp. Gandauensem tangunt, cuius decora percurrere non vnius codicis, & nescio an vnius hominis foret. Plenæ sunt historia, plena omnis annalium vetustas, &c.

I. B. Gramaius Cap. XXXVI. Antiquitat. Gandensium.

Testis est maxima vrbium Gandauum, quæ etsi in prima procella, ac tempestate, &c.

Franciscus Bencius Soc. IESV presbyter in oratione funebri Alexandri Farnesij, Parmæ ac Placentiæ Ducis, Belgicæ olim Proregis.

Sed Gandauum penè prætererieram, quod & ciuium multitudine, & opum copiâ, & Metropolitanæ vrbis titulo superbum, & infinitis nominibus, quibus semper floruit, nobile, &c.

Hubertus Rodulphus, Abbas ordinis Cisterciensis, in panegyrico de rebus ab eodem Alexandro Farnesio in Belgio gestis.

Condolentibus vniuersis, & clientibus, & amicis, præcipuè vrbe vrbium Gandâ.

Ioannes Baptista Triest in Cenotaphio patris sui Philippi Triest Equitis, Gandauensium Consulis Amplissimi.

Plura, & ampliora Gandæ elogia Lector si desideras: ea Ianus Lernutius, Daniel Heynsius, Ianus Douza, Nicolaus Burgundius, Carolus Vtenhouius, Cornelius à Marca, Maxæmilianus Vrientius in poëmatis, Matthęus Quadus, in Delitijs Germaniæ Inferioris, Iulius Scaliger in vrbibus, Gerardus Corselius in Epistola ad Marcanum, Hieronymus Cardanus in libris de varietate re-

rum,

rum. Valerius Andreas in Bibliotheca, Laurentius Surius in supplemento Naucleri, Leuinus Lemnius in libb. de occultis naturæ Miraculis, Belleforestus, & Theuetus in Cosmographia, alij in alijs suis scriptis fusiora dabunt.

CAPVT III.

Gandaui descriptio, summatim ea complectens, quæ ad vrbis commendationem pertinent.

GAndauum amplissima Flandrorum Metropolis, ac totius pænè orbis inter vrbes miraculum, in hanc quam videmus magnitudinem, quæ omnium ferè nobilium in Europa ciuitatum par, ac multarum etiam superior est: suis paulatim viribus excreuit, contraque aliarum vrbium fata inuictam hactenus ęternitatem meruit. Coluere eam primùm indigenæ Gorduni, siue Gonduni, veteres, teste Cæsare, Neruiorum clientes, dein Romani: quos ipse Cæsar hîc præsidio collocâsse constanti annalium memoriâ refertur. Inde Vandali, Franci; his postremò accessere Germani; quorum pars maxima Saxones, quos ad millia hominum sexaginta Carolus Magnus in hanc Belgicę partem traduxit. Vrbs est, vti è sequentibus patebit, non amplitudine solùm, & dignitate, sed amœnitate quoque loci, quam flumina, riui, aquæ fluentes, quales tota Europa nusquam, prata, colles, & cælum denique nō alibi suauius, afficit, cum primis conspicua. Aspicit ab Aquilone Antuerpiam, ab Ortu Mechliniam, à Vulturno Bruxellam, à Cauro denique Middelburgum Zelandiæ, à quibus omnibus æquali ferè decem leucarum interuallo abiungi-

tur, distatque sub longitudine graduum 25. minutorum 45. latitudine verò graduum 51. minutorum 24. aspectu superbo, loco admodum salubri, & opportuno, quarto videlicet à mari lapide. Et ad situm eius quod attinet, si quis totam, non dico Flandriam, sed Europam perlustraret: non facilè commodiorem, aut amoeniorem vrbi condendæ locum inuenerit. Aliæ repentinis aquarum inundationibus vrbes obnoxiæ sunt, alias vicini maris vexit austeritas, his paludes, foetidæque camarinæ sunt graues, illis vel aquarum penuria, vel soli sterilitas, vel alia incommoda ad foelicitatem impedimenta sunt: à quibus omnibus liberum Gandauum, maximâ ad omnem humanæ vitæ vsum commoditate abundat. Tanta autem eius est amplitudo, vt tria Germanica milliaria in ambitu continere à multis dicatur. Sed ad alia vrbis ornamenta antequam veniamus, priùs de varijs, multisque eius Fluminibus, quæ præcipua, ac æterna ciuitatis huius decora sunt, agendum est. Sunt autem siue à natura, siue ab arte facta sex potissimùm nunc fluenta, quibus amoenissimè irrigatur, ditaturque hæc Ciuitas: Scaldis, Legia, Liuia, Moera, Canalis nouus, Fossaque, quæ se ad ostium, vulgò, Het Sas, in Oceanum exonerat. Ad Scaldim quod attinet, fluuius antiquus, & Ptolemæo Tabuda dictus, celebris est, piscosus, cursu citatior, arenâ flauus, nauigijs tamen idoneus, apud Hannonios non procul à Valencianis ortum habet. Legia aspectu amoenus, pellucidus, leni fluens agmine, cum maiestate quadam Gandauum venit. Is modò notiori nomine Lisa appellatur; cuius ortum non ineleganti carmine Moreus quidam vates cùm describat, versus eius hic subijciam.

Flumina Gandensium.

Pan.

------Paulino saliens tranquillus in agro,
Discedens natale suo de nomine Burgum
Nuncupat, & Morinos, infelicemque Tarennam
Alluit, Ariacum mox diuitiore tumescens
Amne beat, nec Mergemo, nec latus Eterra
Inuidet, vt pleno fœcundus prolnat alueo
Armenteriacas VVaernessoniosque penates:
Cominium arcipotens, Vironiacique ruinas,
Parua etiam Menina sibi non fœnore paruo,
Et Corturiacum placet, & vetus Harleabeca
Gloria, Legiadas ad Deinzæ mœnia nymphas:
Mittit ouans, quæ tot circumstipantibus vndis
Gandiacis tandem meritæ connubia Scaldis.

Liuiæ verò alueus non natura, sed Gandauensium studio sterni cœptus 1228. sed assensu Principis Margaretæ suffragante, litterisque ad annum 1251. datis promota fossio, productaque Rodeburgum, nunc Ardenburgum, & ad portum vsque Dammensem: associatis in itinere paluſtribus aliquot riuulis, & bicorni in primis Calâ, ait Gramaius; is spacio deciés mille passuum nauigabilis vniuersim, insigne, per ea præsertim tempora, quibus mercatus Brugis vigebat, nundinantibus compendium præstitit. Moera à Moerbeka, ditionis Wasiæ pago, per Winkelam, & Dorizelam ad nos deriuatur; Amnis est inter obsitos paludibus, & cæno, vligineque campos cis Iani petram, vulgo S. Ian Steen, equorum mercatu nobile olim municipium, natus: vbi inuento, alibi parato productior factus alueo, demum se secans hinc Durmę fluuio Wasiano miscetur, inde versus Axellam Oceanum petit, rectoque flexu, & fluxu supra angulum Ambacti veteris, inde Winckele nomen indeptum influit aquæductum Noui vocabulo signari soli-

 tum.

tum. Aquæductus autem ille nouus, etsi manu factum alueum habet, eum tamen grandiorum etiam nauium tolerantem videmus, per quem, perque iam dicta flumina quantam omnium rerum, ab omni orbis parte, accipiat copiam Gandauum, incredibile dictu est; ex his enim in mare patet via per eundem alueum siue aquæductum, quæ se ad ostium, vulgò Het Sas, in Oceanum, vt antè dixi, exonerat. Cataractus in hanc rem stupendo artificio exstructus. Hinc fit, vt nihil terræ vicinę, nihil mare, nihil transmarinæ regiones gignant, quod non vt domi natum Ciues paruo, aut tolerabili saltem pretio, si quieta sint tempora, obtineant. Quin ad vicinas quotidiè vrbes plurima transmittunt, vtpote, Antuerpiam, Brugas, & in Zelandiam triticum pręstantissimum, & butyrum laudatissimum, in alia loca sal, & pisces, vt cetera omittam, cùm ad ædificationem, tum ad quotidianæ vitę vsus pertinentia. Cœptus est verò aquæductus ille versus Oceanum fodi ad annum 1537. à domo rubra ad aggerem vsque marinum, qui importuno suo obiectu anteà naues exitu, atq; ingressu Oceani prohibebat, quod alij tamen in annum 1550. referunt, quo primum proximo ad mare repagulo lapidem solemniter posuit Antonius Baenst Eques, Senatus Gandauensis præses. Anno denique 1562. perfossus ager aquâ fluuiatili marinam supernatante. Cùm in eum aquæductum Iurisdictionem Princeps anno 1561. Gandauensibus contulisset. Mirandum verò, quòd præter hos, quos iam nominaui, partim ab arte, partim à natura fluuios, etiam alijs, & cũpluribus quidem aquæ perennis meatibus hæc ciuitas alluatur, qui propinquis hinc illinc locis exorti, & vel ipsa sui naturâ, vel humanâ industriâ, grandioribus aquis mixti, Gãdauum veniunt.

In

In illis aquæductus Eclonianus est, is per Lembekam, Sledingam, Ertueldam, & Clusam in celebrem noui Sassi fossam lapsus, non parum commodus Reip. Gandauensi, vtilisque, lignorum præsertim aduectione, sentitur. In his etiam Cala est, quæ gemino olim cornu in lunam, nunc in canalem nouum Gandobrugensem veniens, apud Ruseledam Buscamuelto vicinam ortum habet; verùm si ex ijs, quæ labore, & industriâ hominum fiunt, aliqua sint, quę laudem, ac admirationem mereantur, erit profectò Canalis ille nouus Gandobrugensis, qui 1613. auspicijs Serenissimorum Principum Alberti, & Isabellæ, communi Flandrorum ære, Gandauo Brugas, & illinc Ostendam vsque, regio planè, augustoque opere fodi cœptus est. Singulare etiam vrbis beneficium est, quòd frumenti per Scaldim inuecti quadrans, per alios fluuios sextans, in vrbis vsum à Curatoribus huius rei Gandaui retineri possit. Neque verò solùm omnium earum rerum, quas vsus hominum exigit, facilitatem, & abundantiam huic vrbi flumina iam memorata præbent: verum etiam magnam agrorum fertilitatem præstant, & ad incolarum salubritatem non parum conferunt, dum quidquid est sordidum, fœtidumque, quo morbi grauiores gigni solent, secum abripiunt, vnde aër hîc purior, gratiorque, minusque quàm alibi fœtoris habens. Eadem dein flumina vario flexu, & reflexu concurrentia, ita vrbem amplectuntur, perluunt, & intersecant, vt viginti sex Insulis factis, quæ tum publicis, tum priuatis domibus occupantur, eam munitissimam reddant, & hactenus inexpugnabilem. Horum enim septis occlusis intra primum lapidem innundatione se tuetur, ijsque maximè, post Ciuium virtutem confisa, quosuis solet hostes contemnere. Magni-

tudine omnes ferè Europę vrbes vel superat, vel æquat, cùm, vt antè dixi, tria in ambitu milliaria Germanica comprehendat: quod hinc cuiuis facile est colligere, quòd à porta Cęsarea, quæ Bruxellam spectat, siue Persellica, quæ Cortracum, ad Mudanam vsque vnius horę sit iter. Ambitus verò intra mœnia est 45640. pedum Romanorum, hoc est, Italicorum septem milliarium.

Pontes Gandenses. Pontes, quorum multi tribus, duobus alij fulciuntur fornicibus, XCVIII. maiores habet, qui iustæ magnitudinis actuarias naues, siue Holcades, eas Gandaui Pleyten vocant, annonâ mercibúsve alijs oneratas nullâ difficultate transmittunt.

Molæ. Molas pneumaticas, seu ventis agitatas, plures quàm centum, & viginti habet; earum pars maxima frumenta frangit; aliæ ex semine contuso oleum efficiunt: aliquæ aquam ex vliginosis pratis in flumina deducunt. Sex item aquarum impetu rapiuntur; ex quibus quatuor granis frangendis, quinta corticibus, sexta papyro conficiendæ olim seruiebat. De trusatilibus verò, vel machinarijs, quas aut homines, aut iumenta versant, quæ non facilè numerari possint, nihil hîc dico. Templa numerat circiter sexaginta: inter ea Augustissimum Cathedrale D. Ioanni Baptistæ olim, nunc S. Bauoni sacrum, structuræ profectò magnificentiâ, magnitudine, & turris an. 1602. de cælo tactæ elegante fabricâ spectabile. Est in hoc multorum Canonicorum Collegium diues, & honoratum, Sedesque Episcopalis; estq; aurei velleris celebritate ibi bis peractâ, & Imperatoris Caroli V. Baptismo ornatissimum. Sita est ex aduerso turris Bellafortis, vulgo Belfort dicta, visendum sane opus formâ quadratâ, supernè quàm infernè decem pedes latior, & suâ interim stans mole annis iam ferè trecentis. Sunt & in vrbe Gandauensi Xenodochia

De hac Ecclesia fusius lib. 5. cap. 1.

Vide de ea cap. 2. l. 2.

nodochia

nodochia cumplura, in quibus mulierculæ quædam ægrotis adſiſtunt, ſollicitæque ſingulos refouent, atque ea ſubminiſtrant, quæ ad cuiuſque valetudinem arbitrantur: quorum principem tenet locum, quod Biloka vocatur, totâ Flandriâ celeberrimum. Quid de Abbatijs dicam? eas quinque numerat annuis prouentibus præſtantes: quarum prima, & antiquiſſima eſt B. Petri in monte Blandinio, à Dagoberto Francorum Rege anno 610. poſt annunciatam hîc à S. Amando Traiectenſi ad Moſam Epiſcopo Chriſti doctrinam, conſtituta. His verò nunc complures Abbatiæ tam virorum, quàm mulierum foris acceſſere. Cœnobia pluſquam triginta vtriuſque ſexus etiam nunc in ea numerantur. Canonicorum Collegia duo. Templa Parochialia ſeptem habet; eorum vnum, quod S. Martini in Ackerghem, neque minimum, neque maximum, quinquies mille, & quindecim domos, non ita pridem ſuo ambitu concluſiſſe fertur. Refert Marcus Varnewicus ſuo æuo, hoc eſt, ad annum 1566. extitiſſe Gandaui ad triginta quinque domorum millia, in quibus multorum ædificia ſplendida, ampla, & Principum etiam habitationi idonea, etiamnum viſuntur: licet eam vrbem incendia frequentia miſerandum in modum deformarint, magnaque ſui parte abſumpſerint, quale in primis illud fuit quod an. 1217. Gandaui contigit, adeò ſæuum, ac horribile, vt ſeptem viri, vnaque mulier præ metu illius in vicinum fortè puteum lapſi eâ ſe ratione à flammis tutari conarentur, ad quos cùm magna hominum multitudo, extincto, aut mitigato iam Vulcanio illo furore, accurriſſet, dehiſcente terrâ, ſuffocata eſt. Tanta autem aliquando hoc in opido frequentia populi fuit, vt eius æquare numerum in Belgio nulla, in Europa paucæ ciuitates poſſent. Froiſ-

sardus, & Iacobus Meyerus auctores sunt, Gandaui ciuium censu habito octoginta millia (à decimoquinto ad sexagesimum annum) inuenta esse, qui armis, bellisque gerendis idonei haberentur. Laurentius quoque Surius, statim in historiæ suæ exordio, vbi multa de Gandauo, in vna septem Parochiarum, quæ S. Michaëlis dicitur Ecclesia, id temporis, cùm Carolus V. ibi nasceretur, fuisse 35000. communicantium narrat. In tanta autem frequentia plurimos virtute, prudentiâ, fortitudine militari, eruditione quoque, ac litteris famam aut adeptos, aut meritos hæc vrbs produxit. Ad viros autem doctrinâ, ac liberalium artium cognitione præstantes quod attinet, mox de ijs, aspirante Deo, singulare volumen dabimus. Natales in primis debet huic vrbi inuictissimus Rom. Imp. Carolus V. Principum Phoenix; debet & Ioannes Eduardi III. Angliæ Regis Filius, & Theodoricus Hollandię Comes, Gandenses exinde nominati, debent plures Flandrię Comitum liberi, & si minùs curiosè, id ab historicis annotatum sit; olim enim sæpius hîc, quam alibi Reges, Principesque diuersati sunt, vrbis situ, amœnitate, alijsque naturę donis nimirum allecti. Fuit & Gandaui ad annum 811. Reginone teste, Carolus Magnus, & lustratâ, quæ ibi adornabatur, classe circa mediũ Nouembris Aquas decessit. Fuit & S. Ludouicus Gallorum, ac Eduardus Anglorum Rex. De aula Principis, in qua trecenta feruntur esse cubicula, de Curia Senatorum, intus amplo atrio, foris sumptuosa, & operosâ elegantiâ illustri; de ludis quoque litterarijs, quæ nuper, exceptis triuialibus scholis, Septem, in quibus Græca, ac Latina institutio erat, è quibus etiam, velut ex equo Troiano, doctissimi adolescentes prodierunt, nihil hîc, alibi quædam dicam. Ad arces

quod

quod attinet, duæ nunc eminent. In earum altera, quam Petram Comitis vulgò nuncupant, Prouinciale Concilium, quod vice Comitis ius dicit, & Insulâ translatum à Ioanne Diuionensi, Gandaui stabilitum est, sedem habet. Alterum Castellum ad ripam Scaldis munitissimum à Carolo V. extructum est. Multa alia prætereo: vicorum amplitudinem, tot amœnos recessus, tot prata, tot hortos. Fora hîc rerum venalium numerantur XIII. Spatiosa septem, inter quæ excellit, quod vulgò vocant de Vrijdach-mart, quòd videlicet maximè diebus Veneris hebdomadario vrbis mercatui destinatis frequentetur. In eius fori medio, anno nuper sęculari Serenissimis Principibus Alberto, & Isabellâ Flandriæ Comitibus vrbem primùm tunc ingredientibus, statuam Carolo V. Imperatori, gloriosæ memoriæ Principi, Resp. Gandauensis posuit. Habet & mediâ Quadragesimâ nundinas celebres annuas, quas Arnulphus iunior Flandriæ Comes Gandauensibus concessit. Fertur sub hoc Principe à tribus Regibus obsessa Ganda, ijsdem domum redire coactis, inuicta perstitisse. Ante annum prioris sæculi quadragesimum per hæc nundinarum Quadragesimalium tempora, mille ciues splendido armorum apparatu, cum Præfectis opificum in forum prodibant; quod à Cæsare Carolo, cum alijs quibusdam ante eadem tempora fieri solitis, abrogatum est. A pluribus sæculis iuxta ædes Palatinas, Leones alit Gandauum, tam maiestatis vrbis, in Belgio primariæ, âit Gramaius, quàm antiquitatis symbolum. Anno 1447. Leonis hic cum Tauro duellantis, animosum pectus, furioso cornuum impetu prostratum est. Pugnauit & fortissimus ille animalium 1404. cum vrso, vicitque. Anno etiam 1360. eius vincula euadentis furor, trium homi-

num lanienâ se pauit. Eiusdem sub Philippo Elsatio visi spectaculi arguunt longè ante Caroli V. natalem Leones, Gandaui alitos, habitosque fuisse; ob id opinor, quod tempore Elsatij Leonem Gentilitium Flandriæ insignibus primò insculpentis, primi idipsum imitati Gandenses scribantur, æquum rati Flandriæ caput vultum cum Flandria eundem ostentare, regijque splendoris monumentum fouere voluisse. Fuit & olim in Blandiniensi Cœnobio perpetua Aquila, familiariter etiam, & assiduè asseruari solitus ab aliquot sæculis in Bauonensi Vrsus, quod antiquitatem non contemnendam redolere à Vandalis, quorum hoc insigne Gramaius opinatur. Ad nobilitatem huius vrbis quod spectat, si vsquam toto Belgio, prisca est, & auitis opibus instructa, pacisque semper, cum insigni huius Reip. ornamento, ac belli artibus floruit. Ciues generatim seueri, graues, iustitiæ, & æquitatis amantes; splendorem, & publicam magnitudinem laudant, odêre priuatam, Magistratuum quoque præclara facta impensis in cælum laudibus adtollunt; in eos etiam, si contra leges, & Remp. agere arbitrantur, libera, & erecta (quod an probare, an vituperare debeam, nescio) exercent iudicia. In omnibus aliis moderati sunt, frugales etiam magis, quàm parci. Itaq; in œconomia circumspecti, sed cum res exigit, splendidi etiam, & liberales, sumptuosi, ac magnifici. Sunt & à fastu, pompaque externarum gentium naturâ suâ alieni; olim tamen magis; nunc enim quidam communi temporum vitio abrepti, suique velut immemores, exterorum splendorem non imitari probrosum ducunt. Ingenio denique tali, vt si humanitate, & beneuolentia eos ducas, ad quæuis paratos; si cogere velis, obluctantes, saxoque inuenias duriores; etiam fucos odêre, ac fran-

fraudem, nec aliud in ore, aliud in pectore habere norunt: nisi eos Aulæ pestilentia aliunde aduecta adflarit. Mercatui etiam, alijsque non inhonestis artibus dediti; labore manuario industrij, in opificijs strenui sunt. Olim Textores præcipui, ac numerosi fuêre, in hanc vrbem primò à Balduino Comite Arnulphi filio circa 965. adducti. Quondam etiam militiam sequebantur, ac quanta tunc eorum in armis fuerit fortitudo, ac gloria, passim historiæ, & Annales commemorant. Ausim dicere, vt potientibus hîc rerum Romanis fortissimi Belgarum Neruij fuêre, ita ijs abactis, adeptisque horum locorum dominatum Francis, ac pòst Burgundis, primas Gandauensibus dandas esse. Nunquam armis oppressi, nunquam sedibus suis pulsi sunt, nunquam Gallis cessêre; eos etiam sæpe vi totâ Flandriæ incumbentes repulerunt, totam quoque suis armis Flandriam tutati sunt. Sub Ludouico etiam Niuernensi, sub Maleano, cùm omnem hanc Prouinciam, Artesiam quoque, & Hannoniam infestam haberent, perstitêre indomiti, intulêre clades, nusquam victi, variè hostem cecidere. Etiam sub Guidone Dampetra eorum virtus enituit, pulso Philippo Pulchro (post Groningensem victoriam, quę eorum fortitudini præcipuè adscribi debet) cum exercitu octoginta millium veniente, Flandrosque, vt sibi videbatur, internecioni daturo, ab Aurora ad Hesperum in monte Pabulano acri dextera, animisque intrepidis pugnauerunt. Exercitu etiam aliquando sexaginta millium circumsepti, ac ciuitate sua clausi, duas vrbes alias suo milite obsederunt. Sub eodem Maleano Principe ad annum 1380. narrat Meyerus ab anno ætatis 15. ad sexagesimum armatorum 80000. Gandaui reperta fuisse; sub Philippo quoque Arteueldio miles Gandensis, iure an iniuria, alij dicant, tota *Bellicosi.*

Flandria potitus est. Eadem ciuitas cum quinque millibus, Maleanum triginta millia adducentem in fugam dedit, Brugensium mœnia solo æquauit, neque casu hæc victoria, sed ex eorum fortitudine, prudentia, pietate obtigit; enimuerò ante pugnæ initium magna rerum angustia, ac fame præcipuùm pressi Gandauenses, in genua procumbere, calidis precibus obtestari numina, diuinam opem implorare. Ita quoque Carolum Audacem, vtpote bellis natum, ac penitus Martialem, an. 1464. in conflictu Montherij per cuncta rerum discrimina secuti sunt. Denique Pio Secundo Christianos in Turcas commouente, cùm Philippus Burgundus cognomēto Bonus Antonium filium mitteret suppetias sacro bello laturum, cum ipso etiam centum, & octoginta Gandauenses, flos patriæ iuuentutis, cruce signati, eos ducente Hectore de Cossselier, viro forti, ac strenuo, profecti. Quæ omnia ampliora profectò merentur elogia, quàm quæ hîc referri possint. Ad sequiorem autem sexum quod attinet, fœminæ vniuersim minùs hîc, quàm alibi molles, castæ magis, honestoque amicæ, familiarium rerum, ac liberorum curiosæ, forma etiam elegantes, colore roseo, corpore vegetæ, & succulentæ, otium oderunt, & ignauiam, gaudent occupari, domique semper, quo exerceri possint, aliquid inuenire. Si desiderio alicuius tactæ sunt, præ alijs quibusdam, amant suauiter, non perditè, non efflictim. Scorta Senatus non patitur, ea, si publicè nota sunt, vel pellit è ciuitate, vel aliàs coërcet. At claudam riuos, ne panegyrim potiùs hîc aliquam, quàm nudam opidi descriptionem videar contexere. Quæ autem hic conglobatim vrbis ornamenta recensui, ea sequentibus libris σὺν θεῷ enucleatiùs explicare contendam. Qui plura

voluerit,

voluerit, Sebastianum Munsterum, Adrianum Barlandum, Pontum Heuterum, Iacobum Marchantium, Iacobum Meyerum, Ioannem Gramaium, Adrianum Romanum, Gerardum Mercatorem, Petrum Bertium, Petrum Kærium, Petrum Oudegerstum, aliosque celebres huius æui Cosmographos legat.

CAPVT IV.

Vrbis origo, etymon, incrementa, insignia.

PRimam vrbis, certamque originem inuenire difficile admodum fuit. quæ ante Iulij Cęsaris tempora de ea passim in suis antiquitatum Belgicarum libris narrat Marcus Varnewicus, omnia pænè fabulosa arbitror, ac talia omninò, vt fidem non mereantur; à reliquis verò Flandricarum rerum Scriptoribus, quod non solido se hîc niti fundamento sentirent, vix aliquid memoriâ dignum in Annales relatum est, adeò, vti aliarum plurium Belgicę ciuitatum, sic & huius initia obscura sunt, & abstrusa. Fuisse nihilominus vrbem hanc ante Iulij Cæsaris tempora multi, nec in vanum opinantur, & ab arce quadam perquam vetusta, quam quidam eiusdem nominis Princeps Britannus Scaldi impositam Odueam nominarat, vrbem hanc Odueam nuncupatam fuisse asserunt. A Gandauo etiam quodam, qui trecentis ante Christum annis vixerit, eiusque stirpe, Gandauum dictam; demum à Carino Belgico Rege, Carineam, vel Clarineam appellatam libro secundo cap. V. Belgicarum earundem Antiquitatum tradit idem Varnevvicus. Vnde versiculos hosce, quos sæpe Meyerus, & alij citant, natos dicunt:

Hanc

Gorduni, teste Cæsare lib. 5. belli Gallict, Nerviorũ Clientes fuere, quos à tractu Montis Blandinij Corturiacum vsq; habitasse inter paludes, quas Goor & colles stagnis, aut ripis fluminũ, vel Oceani adiacentes, quos Duynen vocamus, quidam volunt.

Hanc Clarineam veteres dixêre Coloni,
Gorduni, populique truces coluêre Sicambri;
Mercurio Cæsar, Christo sacrauit Amandus.

Itaque licet ortum, ac primordia huius vrbis Caio Iulio Cæsare antiquiora fateamur, potissima tamen eius auspicia, ac quasi natalem Romanis deberi præsidijs, arcique per eundem Cæsarem illic, vbi olim Diui Bauonis monasterium fuit ad concursum duorum, vel tunc celebrium fluminum Scaldis, & Legiæ excitatæ, vel munitæ, multorum mecum sententia est. Abeo tempore relictus ibi contra Neruios, aliosque Imperij hostes miles Romanus; quin & à fide dignis Annalibus traditur, cum bona exercitus parte Caium Fabium, ac Caium Treboniun Duces istic ab eodem Cæsare in præsidijs constitutos fuisse, ac ita sensim, quod & in alijs Europæ locis, ac præcipuis etiam ciuitatibus euenisse constat, numerosior hominum, certisque inter se legibus cohærens multitudo coaluit, locusque Reipublicæ, ac vrbis imaginem, seu formam sumpsit. A Caio Cęsare arcem illam Caiam etiam nominatam tradunt, quam tamdiu Romana præsidia tenuêre, donec à Clodione Pharamundi filio Francorum Rege ad annum circiter 445. expulsa sunt. Venisse etiam, & hanc occupasse arcem Caroci Principis ductu Wandalos passim Romani Imperij arcibus infestos ad annum circiter à partu Virginis 411, historię referunt, contraque Wandalos Romanam arcem tenentes Gotthi tunc Neruiorum Domini Aldenardam, & Alostum noua castella excitarunt. In eo quoque Gandaui loco, qui olim portæ Brabanticæ conterminus Scaldi adiacet, Arx à Wandalis structa, quæ vel

in

in hanc vsque diem, & si nulla, vel rara eius extent insignia, vulgò Wandalaers Casteel audit. Ab ijsdem Gandauum Wandt appellatum, atque hinc illa nata vocabula Guandt, Guanto Italicè, Gante, Gandam, Gendt, aliaque his similia, plurimorum, neque vero dissona, sententia est. Licet quidam Marchantio teste à colle illo, qui ad D. Petri Blandiniensis in aquis circumfusis, velut natans anser masculus, quem Ghendt vocamus, eminet, ciuitatem hanc dictam suspicentur; quod argutum ego magis, quàm verum existimo. Quin & fanum Mercurij, ac Martis locum hunc olim nominatum fuisse præfatus asserit Varnewicus lib. 2. cap. 8. Cùm enim, inquit, sub Agrippa Syluio Albano Rege multi Belgas, ciuitatem tunc in hac Galliæ parte florentissimam, ac Idolorum plenam, dijs nimirum illis putatitijs vota facturi adirent, magnaque fames ob ingentem illuc aduentantium numerum (eam illa numina cultoribus suis beneficentiam exhibebant) vrbem premeret, Rex Aganipus quaquà versum in vicina loca Deorum suorum imagines ablegauit; cùm itaque Carineam nunc Gandauum Mercurius adductus esset, ac tum etiam in Blandinio Mars coleretur, à simulachro titulum locus retinuit. Mihi tamen à Iulio Cæsare, iuxta quod in vetere versiculo est, *Mercurio Cæsar, Christo sacrauit Amandus*, numen hoc primum Gandauensibus commendatum, verisimilius habetur. Idem posteà locus portus Ganda in antiquo pago Gandauensi situs, etiam Boecheym ad S. Bauonis, Portus quoque Belgicus, Portus Morinorum, vrbs in Herehem à mediæ præsertim ætatis Scriptoribus vocitatus est. quin & Gessoriacum nauale Gandam fuisse alicubi cum alijs quibusdam arbitratur Bilibaldus. In hoc autem loco per aliquot sæcula dominatos


fuisse Romanos, vel ex eo constat, quòd in hunc vsque diem ager Gandauo vicinus varia Cæsarum, vti Neronis, Gordiani, Traiani, ac aliorum vsque ad Constantinum; numismata, aliaque Romanæ potentiæ monumenta effodiat. hoc & ab aliquibus memoratur, Caium Fabium, Caiumque Trebonium Duces à Cæsare relictos, post eos etiam Galbam, ac Caium Caligulam seu arcem, seu vrbem hanc auxisse; Non solùm verò postquam amplior facta est, vrbem hanc in Pago Gandauensi, vt eius Metropolim, sitam fuisse, sed in collimitio quatuor diuersorum rectè docet Gramaius; Planè, inquit, vt Romanæ origini Gandensem conferre solitus sim, eò potiorem, quod illa tribus pro ratione conuenarum tribubus conglutinata, hæc quatuor regionibus, naturæ glutino ad hanc totidem amnium confluentem sociatis, conflata, elementorum numero, Vrbe superior, orbi par videatur. In primis pagum Brabantensem Scaldi tenus pertinuisse, in quo pars oppidi circa arcem Carolinam, id est, vetus Bauonis Cœnobium, disertis verbis tradit Ludouici Cęsaris ad Eginhartum Abbatem diploma his verbis; Idcirco nouerit omnium fidelium solertia, quòd Eginhartus ex monasterio quod dicitur Ganda, quod situm est in pago Brabantensi constructo in honore S. Petri Apostolorum Principis, vbi & iam B. Bauo Confessor Christi corpore requiescit. Datum Idus Aprilis an. 810. Imperij sexto Aquisgrani palatio regio. Eiusdem Cęsaris, sed octennio post, datum exstat, referens, in pago Tornacensi super Scaldim flumen locum esse, Blandinius mons, dictum antiquis, vbi monasterium sit ad honorem sancti Petri cœlorum clauigeri, à gloriosissimis Regibus fundatum, vnde è plano videtur montem Blandinium, vbi nunc Diui Petri Abbatia

intra muros visitur, pago Tornacensi olim comprehensum. Vltra Lisam occurrit pagus Mempiscus, siue Menapiscus, in quo, territorio tamen Gandensi, inchoatum Truncinium, ex monumentis eius Abbatiæ narrat Meyerus ad annum 633. quod Chronicis Bauoniano, & Bertinensi conforme est. Et ne dubitemus, vici aliquot nunc vrbani, suburbani anteà, in Menapisco in tabulis donationum antiquarum leguntur. Vnde amplius obseruare est, Gandense opidum peculiare sibi territorium olim habuisse, id est, locum communem (interprete Varrone libro 4.) qui propè opidum relinquitur, quod maximè teratur, dictum. Ad extremum charta donationis Trudonopolitani Cœnobij laudat villam Heuerghe pago Flandrensi anno 755. quem non dubito, inquit Gramaius, vicum in conspectu opidi esse, Heuerghem dictum; & proinde hac parte eum pagum quarto opidum loco occupare. Ideò autem Gandauum pagi Gandensis, qui antè quoque pagi Flandrensis, & Frisiæ maritimæ nomen habuit; quòd quatuor in primis vrbes, vt ex Chronico Bauonensi constat, videlicet Hulstum, Axella, Hasna, & Bocholta, id est, ditiuncula Ambachtorum, in qua hodieque Castri Comes Gandensis iura, & prærogatiuas quasdam habet, illi parerent. Sed ad priora reuertamur. Cùm in Neruijs agerent Gotthi, ac frequenter Gandauo imminerent, & à Wandalis fortibus, ac munitis prohiberentur; non parum bellorum inter Gotthos & Wandalos sæuientium iniurijs imminuta ciuitas, per Odoacrum præcipuè Balduini patrem, quintum Flandriæ Saltuarium, circa annum Domini 826. & alios Flandriæ Principes restituta, ac per eundem mœnibus cincta fuit; quod alij tamen Lyderico Bucano, primo Flandriæ Saltuario, qui & palatio suo vrbem

hanc ad Diui Bauonis constructo, & vndique aquis circumsepto exornauit, adscribere malunt. Illam verò iterum per Normannos circa annum Christi 851. vastatam, ac grauissimas clades passam Arnulphus Flandriæ Comes restaurauit. Ad annum quoque 1053. à Balduino Comite eandem vrbem munitam fuisse asserit Gramaius, sub Elsatio quoque Comite ad annum 1119. datum ciuibus priuilegium, perque Margaretam confirmatum, quo ciuibus non vrbem tantùm, sed & domos suas pro arbitrio firmare, & munire liceret. Vnde ager, & vicus araticus vulgò Ackergem à Dominis tum loci, Gauerorum hac parte antecessoribus, in conspectu opidi vallatus est. Sensim itaque in eam, quam nunc videmus (cùm nihilominus quatuor tantùm portis, Toroltana, Gallica, Brabantica, Sancti Georgij, quæ & Diui Bauonis sub Balduino Comite ad annum 1202. clauderetur) magnitudinem creuit, quam meritò omnes admirantur. quod ex eo præsertim contigit, quòd ipsa situ opportuna, fluminibus diues, aëre benigna, alijsque cœli, solique muneribus beata, partim etiam latifundijs per Comites ad pomœria proferenda venditis, partim immunitatibus, alijsque Principum suorum beneficijs, quibus plurimos olim in sinum suum alliciebat, dotata sit. hinc pannorum laneorum, ac lineorum textrinis, alijsque opificijs quondam plena, ac populo vndequaque confluenti, cui quoscumque vellet fundos, foris, & intra opidum sibi comparare permissum erat, nimium angusta, debuit dilatari. Gandauense opidum CIↃ. CCII. industriâ ac beneficentiâ Comitis Balduini, ait in Chronico Belgico Locrius, suprà quàm cuiquam est credibile, multiplicatur. Iterùm à Ferdinando Comite, & Trigintanouem Viris multis publicis operibus con-

conspicuis CIↃ. CCXXIII. decoratur, nullaque non parte pomœria eius proferuntur. Illi enim tum Triginta nouem Viri regionem trans-Scaldanam, & Diui Bauonis, Castrum vetus, id est, Petram Comitis, cum area D. Pharaildis, vicum Castri, & Mudam ciuitati applicuerunt, portamque ex aduerso Mudanæ cognomento cum ponte Comitis instruxerunt. Rursus ad annum CIↃ. CCLXXV. Castrum vetus annuente Margareta Comite, ab ciuibus opido applicatur, eiusque fossæ oppletæ, & lapidibus stratæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt; quod iterùm ad annum Christi CIↃ. CCLXXVIII. factum est. Tunc enim denuo prolati murorum limites, & quidquid agri pontem D. Bauonis, & Mudanum interiacet, rursusque inter fossam nauticam, nouumque alueum Legiæ fluminis ad vsque viam Brugensem Comes opido vendidit quater mille quingentis libris grossorum, totumque illud spatium vallo obseptum est, ad extremum dirutis portis antiquis, hac vrbe ampliata, nouæ quædam in his Cæsarea, aliæque huic vicinæ ad annum CIↃ. IↃ. XXIV. ædificatæ sunt, ac pars mœnium lapideo opere ducta, denique nouissimis hisce turbis præter vallum vna opidi parte factum, propugnacula etiam omnibus locis disposita, molesque terreæ, & diuerticula portarum nouo ritu adornata sunt. Sic vt non immeritò Gandauum modò cum munitioribus Europæ vrbibus queat contendere. Et cum soleat exteris hæc opidi amplitudo esse admirationi, subijciam, inquit Gramaius, dimensiones eius singulis pòst sæculis factas. Anno 1266. ita frequenter intra, & iuxta portas habitatam Gandam tradunt Schedæ populares, vt biduum insumere, necesse habuerit, volens extrauagantes eius fimbrias obire. Ioannes à Curia Senatorij

Vide Meyerum, & Oudegerstum.



natorij Ordinis vir mandante Senatu ſtationarias vices deſignaturus, anno 1397. iuſſu Philippi Audacis mœnium circuitus dimenſus per Ægidium Groſherum fertur impleuiſſe 1688.perticas,14.pedũ ſingulas. Et Ioanne Duce volente facta dimenſio exteriori ambitu confecit 3300.virgas,13. pedum ſingulas. Interiori autẽ longitudinis à Mudana porta vſque ad Louinæam 1300. totidemq, à Tenderweert vſque hoſpitalis portam ad Bauonis an.1427.iuſtâ inter Bergarum,Dieſtę,& Weſemalæ Barones ſponſione, ſumptuq; 1300.florenorum, repertũ Gandam,Louanio in circuitu tribus virgis minus, Leodico 5. Colonia 15. cæterum Lutetiam Pariſiorum 7.virgis anteuertiſſe. Ad extremum dimenſio,quam abhinc 80. annis Varnewicus, an. 60. Guicciardinus, & Mercator, an.10.Bertius,& Marchantius ex aliorum relatu inſtituêre, libriſque editis publicauêre ambitum vrbis 7.Italicorum fere milliarium,facit 45640.pedum Romanorum, Leucarum quatuor. Ad vrbis autem huius inſignia quod attinet, à Vandalis ſcutum nigrum,& in eo expanſam argenteam chirothecam, quam vernaculo ſermone Want vocamus,ſeu pugnæ teſſeram,olim habuit.Verum circa an.Domini 1192. vt ait Locrius ex Oudegerſto, Gandauenſes leonem argenteum, aureo collari, aureaque corona redimitum, atro ſcuto aſſurgentem, pro inſignibus ſumunt; dimiſſis ijs, quæ hodie eorum Procomites gerunt; ſcutum nempe pullum ſurſum, ſeu in capite argento diſcriminatum. quod licet ſub Principatu Philippi Elſatij contigerit, alij tamen id ad tempora Balduini Pulchro-Barbi,qui Arnulphi filius fuit, referre malunt. Fertur Arnulphus ille Suſannam, alij Roſalam vocant, Berengarij Longobardorum Regis filiam, cepiſſe vxorem,atque ob fidem,ac merita eo-
rum

rum 500. Equites è nobilibus Gandensium familijs creasse. Vsurparunt etiam Gandenses antiquo Quiritum more, vexillisque suis inscripsere hosce characteres, S. P. Q. G. quibus Senatus Populusque Gandensis significatur, hodie quoque pro symbolo vrbis Virgo sepimento ligneo clausa, cuius in sinu Leo cum Flandriæ labaro cubat, auream capite coronam gestans, depingitur. De qua re carmen non inelegans scriptum, hîc recitare lubet.

Ganda inter Flandras quondam pulcherrima Nymphas,
Quam propria Pallas condidit ipsa manu:
Ganda potens opibus, gelidisque vberima Lymphis:
Hæc in imaginibus fert duo signa suis.
Lacteolos diffusa sinus placidissima virgo
Proxima terribilis colla Leonis habet;
Scilicet vt blandos gerit hæc mitissima vultus,
Sic metuenda suis hostibus arma gerit.

Ante quinque etiam sæcula Gandenses scuto Castelli biturris specie signato vsos fuisse, in cuius opposita sigilli parte manus expressa videbatur, asserit Gramaius Antiquitatum Gandensium capite nono.

ANTO-

ANTONII SANDERI
PRESBYTERI
GANDAVENSIVM
RERVM
Liber Secundus.
CAPVT I.
Vrbis Politia.

ON vna ſemper Gandaui Reip. gerundæ forma, ſed pro diuerſitate temporum, ac Principum placitis, diuerſa Politiæ ratio fuit. Politiam Gandenſium ſæpe, inquit Iacobus Meyerus Lib. Annalium Flandriæ XVI. contigit mutari. Cui rei, meo iudicio, magna ſubinde plebis auctoritas, cui noua plerumque arridere, vetera etſi rectè, & vtiliter conſtituta parere nauſeam ſolent, quorundam etiam petulantia, & ambitio, cauſſam dedit. Ante ſęcula quatuor, & ampliùs penes nobiles quaſdam Patriciaſque familias, rerum ſummam fuiſſe, quaſi iure hæreditario ipſis debitam, arbitratur idem Meyerus, nominat eos particulatim; Borlutios videlicet, Bettios, Serſanderios, Serſimonioſque. Sed eius, Scriptoris alioquin in Flandricis rebus accurati, ſententia infirmo ſatis, debilique nititur fundamento. Ante tempora Balduini Hannonienſis (qui Byzantinus etiam Imperator fuit)

fuit) ac ipso quoque regnante, hoc est, circa annum Domini M. CC. perpetuis Senatoribus XIII. Resp. gubernabatur. Illorum è numero si quis moriebatur, reliqui XII. alium mox in demortui locum sufficiebant. E Patricijs verò tribubus perpetuos hos desumptos fuisse certò, inquit Gramaius, mihi persuadeo, & scio numerum subinde minorem fuisse, octonarium nimirum. Vnde etiam diplomata quędam annorum M. LX. & M. CII. vocant, Acht mannen van Tschependom te Gant. cùm autem ijs temporibus in Senatu ferè semper aliqui ex antè nominatis stirpibus essent, putauit, scripsitque penes easdem solas vrbes regimen fuisse Meyerus. Anno verò Domini M. CCXII. Ferdinandus Comes legem tulit, vt XIII. illi Senatores, qui hactenus fuerant perpetui, fierent annui, annisque singulis habitis Comitijs in ferijs D. Laurentij martyris innouarentur, idque per quaternos electores sumptos ex quatuor sacris curijs, seu parochijs Portus (ita opidum nominabant) videlicet S. Ioannis Baptistæ, D. Iacobi Apostoli, D Nicolai Episcopi, & S. Michaëlis Archangeli, è curia scilicet D. Ioannis quatuor, è D. Nicolai totidem, ex D. Iacobi tres, ex sancti autem Michaëlis, quæ tum minima sub Scabinatu erat, duntaxat duos. Tot erant tum temporis numero Parochiæ, & duplo plures opidi regiones; necdum enim Ackerghemium cum Martiniana, Blandinium cum Mariana, & Amandica S. Saluatoris opido annectebatur. Hoc Ferdinandi institutum annos omninò tenuit XVI. nam anno CIↃ. CCXXVIII. Ferdinandus Comes è captiuitate redux ordinē instituit XXXIX. Viratus Reip. multò vtilissimum. Foderunt illi Liuiam, commodum valdè, ac opportunum per ea tempora, ob commercia Brugensia, fluentum, emerunt insuper, inclusasque

Vide Meyerum lib. 13. Annalium.

K

clusasque ciuitati suæ potestati subdiderunt terras vltrà Scaldim, Mudam & Roygbem, cum loco S. Pharahildis, ac platea de Burgstraete. Verum anno 1275. Margareta Comes, ac filius eius Guido videntes per hunc ordinem ciuitatem nimis esse liberam, suâ absolutâ auctoritate eum abrogarunt, statueruntque Curatores Reip. tantum XXX. Scabinos putà XIII. Consiliarios XIII. & ærarios IV. quos in annos singulos pridie feriarum Decollationis D. Ioannis Baptistæ innouari volebant: eâ ratione vt XXX. cedentes alios XXX. in locum suum eligerent, ciues omnes Gandenses, ac socios, seu fratres omnes Collegij eius quod Comanorum appellatur (vulgò Comans Gulde.) Hi tertio gradu necessitudinis se contingere non poterant. Non fuit autem aliud hæc Comanorum Gulda, quàm cætus populi selectioris. Verum in hanc nouationem non consentientes XXXIX. viri, mox ad curiam Parisiensem appellarunt, iudicatumque est per Arrestum XXXIX. Viratum abolitâ nouâ constitutione suum debere habere locum. Anno dehinc M. CCCI. Philippus Rex Gallorum cognomento Pulcher in custodia Comitem Guidonem seruans, Gandauum venit. vbi vt supremus, propriusque Flandriæ Dominus recipi voluit, studensque componere discordiam, quæ graues inter Comitem, & XXXIX. Viratum versabatur, curauit vt suo ipsius arbitrio omnis permitteretur controuersia. Nouam itaque statuit Politiam, & Senatum, qui per annos CLXX. plus minus conseruatus est, quanquam XXXIX. longè esset vtilitate inferior. Per hanc legem Comitia habebantur pridie Assumptionis Deiparæ Virginis. Comes, aut eius legati IV. legebant ciues Gandenses, totidem legebat ciuitas, qui octo creati electores XXVI. honoratos, idoneosque eligebant Senatores;

natores; quem numerum Comes, aut eius Vicarij mox in XIII. Scabinos, totidem & Consiliarios diuidebant. Sed hoc rerum statu per temporum successiones, inquit Meyerus, mirus ortus est ambitus inter ciues, cum pro se quisque, alius vt maneret, alius vt reciperetur in eum ordinem, decertarent; ita vt sæpius graues, nunc contra Principem, nunc inter ciues ipsos, orirentur discordiæ, ac turbæ, vnde etiam gliscente aliquorum insolentiâ cędes Decanorum, Senatorum, ac bonorum ciuium emanârunt. Per illa etiam tempora introductum est, vt ciuitas in ternas partes, nempe ciues, opifices, ac textores partiretur; introductum quoque, vt non nisi è ternis illis tribubus ciuitatis XXVI. illi legerentur Senatores, essentque in vtroque scamno ciues tres, primus nimirum, quartus, ac septimus: quinque ex opificibus, seu quæstu, secundus, quintus, octauus, decimus, & duodecimus; ex textoribus item quinque, tertius, sextus, nonus, vndecimus, ac decimustertius. Inuenta est etiam eo tempore studio præsertim Iacobi Arteueldij creatio Decanorum, quorum in eam vsque diem nulla memoria fuerat. Creatus itaque Decanus ciuium, Decanus quæstus, & Decanus Textrinulæ. Decanus ciuium primus Senator erat ciuitatis, ciuibusque omnibus, qui absque vllo opificio suis prouentibus viuebant, imperabat. Decanus quæstus LII. Decanis totidem Collegiorum opificum præerat, ideò Archidecarchus appellatus. Is ad medium Augustum in ferijs B. Mariæ ad biennium creabatur. Decarchus Textrinulę annuus erat, die octauo post Pascha creari solitus. Imperabat viris, seu tribubus XXVII. qui & singuli sua vexilla habebant. Decani LII. opificum annui erant, perque Prætorem, ac Senatum mutabantur. Archidecani creationem confirmauit

1340.

Ita sentit Meyerus, irrepsisse scilicet in primum in Ordinem Senatorum tria hac hominum genera, quorum antè aliqua legibus seclusa erant.

1343.

Philippus Princeps anno M. CCCC. XXV. alij quoque Principes in Decanorum omnium creationem assensêre. Illi quoties turbatio aliqua iusta, iniustaue in ciuitate oriebatur, perinde ac componendi motus caussa cum vexillis, omnibusque Collegijs opificum, in forum prodibant, classico per Campanam, Rolandus nomen est, dato. Sic vt primus Senator cum vexillis Diui Georgij Flandriæ atque opidi Gandensis: supremus verò Decanus cum LII. Collegiorum vexillis ad XXV. & XXX. millia hominum sæpenumerò secum aggregarent. Quod à Philippo Duce minus vtile iudicatum, abolitumque, per alios mox Principes restitutum; à Carolo demum Quinto, Principe glorioso, lege perpetuâ abrogatum est, qui se eâ ratione longam quietem, ac salutem Reip. Gandauensi allaturum existimauit. Statutum itaque anno prioris sæculi quadragesimo, vt quotannis decimâ Maij die Magistratus per eos, quos in hanc rem Princeps solus nominaret, crearetur, neque is etiam antè potestatẽ suæ functionis acciperet, quàm iuramento solemni pollicitus esset, se in omnibus ad amussim, legem Cæsaris de Senatu in hunc modum creando, deque alijs quibusdam seruaturum. Sed quia proficuus in primis ciuitati nostræ XXXIX. ille fuit, de quo anteà, paucis quæ illius fuerit ratio & hîc dicam. Quotannis eorum XIII. (tot enim erant tum opidi regiones) Scabinagium, alij totidem Consilium faciebant, reliquis pari numero vacantibus, ac sequenti anno dominaturis. Ita vt vicissim tres hi cętus essent Senatores, Consiliarij, Vacantes, alium annuatim ordinem, & dignitatis locum obeuntes. Ad tripartitam autem vrbis diuisionẽ illam, quæ Politiâ per Philippum Pulchrum Regem mutatâ accidisse putatur, quod attinet, eam

Gramaius

Gramaius non per tumultus inuentam, ſed cum ſplendore aliquo, & adparatu inuectã aſſerit. Diploma enim anni M. CCIV. citat ingenuos Gandaui, & miniſteriales, id eſt, ciues, ac Mechanicos: aliud item anni M. CCLX. nominat Gildas Textorum. E quibus patet eam omninò Pulchri Regis temporibus eſſe antiquiorem. Ad Decanos etiam quod ſpectat, eorum nunc inane nomen manet, & dignitatis vmbra tantum. Illis Prępoſiti cooptātur quotannis Capitanei tribuum plebeiarũ (Hooftmannen vocant) XXII. viri nobiles, ſine quorum auctoritate nulli opificum Collegio conuenire permiſſum. Vexilla etiam olim ſingulis propria opificijs erant, cum ijs Comitem ad bella ciues ſequebantur. Sed eorum pariter vſus lege Carolinâ interdictus eſt. Paucis exceptis, quæ etiam hodie penes lectioris populi partem Sagittariorum Collegijs nomina dare ſolitam remanent, & quotannis aliquoties, cùm eorum aliquis ſolemnior conuentus agitur, oſtentantur.

Electorum porrò Scabinalium numerus variauit ſæpe, qualitas etiam. Nunc receptum tres ex patria nobilitate creari perpetuos à Principe, quartum, qui alioquin Flandriæ Præfectus eſſet, annuatim diuerſum, niſi continuetur, adiungi, & loco primum, & auctoritate præcipuum, is præcedentibus annis aliquoties fuit nobiliſſimus Eques Claudius D'ongnyes, Dominus de Couppigny, Marchouen, Pamele, &c. à Conſilijs ſtatus Regi Catholico, regijque ærarij Præſidum vnus. Alij tres perpetui ſunt, Illuſtres viri Philippus de Merode, Comes de Middelburch, Baro de Freintz, & Croiſilles, Sereniſſimæ Principis Iſabellæ œconomus, ſupremus Flandriæ Venator, magnuſque Brugenſium nuper, & Franconatium Prætor, nunc Tornacenſis opidi, & Tor-

 nacefij

nacesij Gubernator, in cuius locum iam pridem venit paris stemmatis, & præstantiæ vir Comes de Noyelles; secũdus est Iacobus de Noyelles heros etiam multis nominibus commendandus. Comes de Croix, Burgrauius de Noyelles, Baro de Maldeghem, Capitaneus, & magnus Prætor castelli de Walle, & Syluæ Nieppe. Tertius denique non minus virtute, quàm prosapiâ excellens Carolus van Ideghem, Baro de Busbeke, Toparchus de Wiese, magnus Prætor vrbis, ac castellaniæ Iprensis.

CAPVT II.

Magni Prætores.

AMplum apud Gandauenses, & dignitatis eximiæ, munus est Magni Prætoris. Eorum aliquos, qui reperiri potuerunt, sequens Catalogus indicabit.

1070. Summus Prætor Gandaui fuit *Philippus de Baenst*, qui è Gallia redux, quò profectus erat, ad Gandauensium Priuilegia tabulis regijs inserenda, in Sylua Nanceana à prædonibus cum Gerulfo Bette Consule interfectus est. In Ecclesia primaria Audomaropoli sepultus, M. LXXII. sub Balduino Flandriæ, & Hannoniæ Comite decimo septimo. Ita quidam, quorum meo iudicio error in duo, vel tria sæcula impingit, vel ob eam caussam, quòd Gerulfus ille in fastis Consularibus Consul ad an. 1360. notetur, vt cætera taceam.

1218. Summus Prętor fuit *Andreas*, cuius cognomen hactenus inueniri non potuit. Constat ex litteris Ioannæ Comitissę, in quibus donantur quędam in Insula d'Hulst sita

sita monasterio S. Bauonis feriâ quintâ post octauam S. Martini.

Fuit Prætor quidam nomine *Barnerus*. Patet ex litteris Rasonis de Gauere tum temporis magni Flandriæ Venatoris in monasterio Nouibosci exstantibus. 1232.

Iuo Balliuus Gandauensis donauit quædam Trunchimensibus. Ita testantur eiusdem monasterij monumenta. 1239.

Prætor Gandensis fuit D. Michael de Lombeke miles. Ex diplomate in Archiuis S. Bauonis latitante quartâ die ante ramos Palmarum. 1252.

Ægidius van Machelen per Comitem Guidonem constitutus. Ex diplomate in monasterio Nouiboschi. 1268.

Philippus D. de Kienville, aliàs Hondeghem, Eques. 1281.

Richardus Schandart Eques, vti constat ex diplomate Comitis Flandriæ. 1316.

Ad dirimendam controuersiam quandam inter ciuitatem, & monasterium S. Bauonis; statuit Ludouicus Niuernensis 1322. vt qui summus Gandauensium Prætor esset, idem quoque foret Prætor Audenburgicus, Wasiæ, & quatuor Ambachtorum; quod per alios quoque Comites antè statutum erat.

Prætor fuit *Balduinus van Laerne*. Ex Archiuis Senatus Gandensis eiusdem anni. 1348.

Oliue-

1354. *Oliuerius vanden Houe.*

1378. *Rogerius van Aultriue.*

1383. *Philippus Vilain* Eques 13. Decembris.

1384. *Iacobus Scuetelaere* origine Brugensis.

1387. *Oliuerius Destainbruges* 6. Maij.

1389. *Dankardus van Ogierlande* Scabinus Franconatium nonâ Maij euehitur in Prætorem.

Ioannes de Latre circa hæc tempora à quibusdam memoratur. fuerat ante Sculretus Brugensis. fors idem cum sequente.

1411. *Ioannes vanden Kerckhoue* 11. Nouembris.

1413. *Cornelius vanden Eeuchoute* Eques, matrimonio iunctus fuit filiæ naturali Ludouici Comitis.

1416. *Franciscus van Haueskercke* Prætor Cortracensis 25. Martij creatur Magnus Prætor Gandauensium.

1419. *Ioannes Camphijn* 25. Nouembris.

1421. *Ludouicus Salart* origine Gandauensis, Cubicularius Ludouici Comitis, Watergrauius Flandriæ, & Stagnorum Præfectus 12. Ianuarij.

1422. *VValterus de Mersian* D. de Lorimier 29. Ianuarij. Ciuis erat Yprensis.

Gerardus

Gerardus van Commene F. Colardi D. de Watine, &c. 5. Iulij. ab alijs ipse Colardus ponitur D. de Ruuerschuere. fuit & supremus Flandriæ Prætor. 1431.

Ioannes D. de Moerbeke. in Octobri. 1435.

Ioannes vander Zype D. de Wasieres Petri filius, qui primus Concilij Flandriæ Præses fuit. primâ Ianuarij. 1437.

Balduinus de Vos Eques. 4. Septembris. D. d'Axelles, Laerne, Somerghem, Louendeghem, Gollare, &c. fuit hic vir bello præstans. Vide Meyerum. 1444.

Hector van Vuerhaute, origine Gandauensis. 28. Iunij. Eodem anno *Gerardus van Gistele* Eques D. de Beuere, & de Oesselghem. 1449.

Simon van Herbais Dominus de Merchoue. 15. Augusti. pauco tempore huic muneri præfuit, ad 28. videlicet diem mensis sequentis. 1451.

Arnoldus de Gouy Eques Dominus d'Auby familiâ Insulensis, Prætor primum Duacensis, inde Consiliarius, & œconomus Ducis. 12. Septemb. 1453.

Iacobus van Hemsrode Scutifer ex Castellania Aldenardensi Consiliarius Philippi Ducis. 6. Augusti. 1454.

Nicolaus Triest, Eques Iudoci filius. 23. Martij. Idem Wasiæ, & quatuor Ambachtorum, &c. vir fuit prestantis animi, à Consilijs, & Cubiculis Philippo Bono Burgundionum Duci, Principi omnium Europæorum suo tempore Clarissimo. 1457. *alij* 1458.

1467. *Ludouicus van Schoorisse* D. de Nokeren, & Beuere, Consiliarius, & Cubicularius Ducis Burgundię. 8. Iulij, ab eo constitutus fuit Gandaui Prætor minor Balduinus Quistebant, vt hoc in officio vices suas gereret, dum ipse in exercitu Ducis esset; cepit id in Maio 1472. ac post hic Balduinus factus est Prætor quatuor Ambachtorum anno 1476. ex commissione Mariæ filiæ Caroli Audacis Burgundionum Ducis.

1476. *Ioannes* D. de Dadizele Eques, vltimâ Februarij, à Consilijs, & Cubiculis Duci, à Domino de Montigny Antuerpiæ 1480. occisus.

1478. *Iudocus van Belle* Eques D. de Zoetestede, Borre, & Steenwerck, à Consilijs, & Cubiculis Maxæmil. & Marię Archiducibus Austriæ, &c. 3. Iunij. Marischalcus hæreditarius Flandriæ. obijt 8. Septembris anni sequentis.

1481. *Iacobus de Gouy* Eques D. d'Auby, à Consilijs, & Cubiculis, posteà quoque œconomus Archiducis Maxæmiliani, & Capitaneus Castelli de Rupelmonde. 20. Decembris.

1483. *Georgius van Scoorisse* Eques D. de Muelebeke, à Consilijs, & Cubiculis Archiducibus Maxæmiliano, & Philippo. 10. Octobris.

1485. *Iacobus van Gistele* Eques D. vander Mote, à Consilijs, & Cubiculis Archiducis. 22. Iulij. Vixit ad tertium Februarij in ea dignitate anni sequentis. vices eius aliquamdiu gessit Ioannes de Pottelsberghe.

Ioannes

Ioannes van Cruninghen D. de Pamele, à Consilijs, & Cubiculis Archiducis. 5. Maij. 1486.

Carolus van Massem Scutifer, à Consilijs, & Cubiculis Archiducis Philippi. 10. Nouembris. Rationes suas Insulis Teutonice reddere iussus fuit. Vacat ea dignitas per biennium Gandaui ob turbas. 1487.

Iudocus van Gistele D. de Moere, Maelstede, Axele, &c. à Consilijs, & Cubiculis Regis Romanorum, & Philippi eius filij. 12. Augusti. 1492.

Carolus van Gistele Scutifer. 12. Decembris. 1493.

Iacobus van Castre Eques D. de Castre, & Rumbeke, à Consilijs, & Cubiculis Archid. 27. Sept. Fuit & supremus Flandriæ Prætor. 1501.

Franciscus de Iasse, siue de Mastaing, Scutifer D. de Massseme, 21. Aprilis. 1509.

Ludouicus à Flandria D. de Praet, Woestijne, &c. Eques aurei Velleris, & Cæsaris Caroli Cubicularius. 20. Aprilis. Castellanus Slusensis, &c. Vir fuit præstantissimus, Litterarum amans, ipse etiam litteratus, & libris editis clarus. Vide plura de eodem lib. 2. Scriptorum Gandauensium. 1515.

Franciscus vander Gracht Scutifer D. vander Gracht. 20. Ianuarij. 1521.

VValterus vander Gracht Scutifer D. vander Gracht, Huele, Couchie, &c. 20. Ianuarij. Duxit Adrianam vander 1533.

der Gracht vnicam filiam Francisci vander Gracht, D. de Leeuwerghem, Morsele, &c.

1535. *Franciscus vander Gracht* Eques D. de Scardauwe. 22. Maij.

1555. *Adolphus à Burgundia* Eques D. de Wacquen, Catthem, Capelle, &c. Maris Belgici Vicepræfectus, vir præstantissimus, liberalis, magnificus, Litterarum, ac omnium honestarum artium perquàm amans. 27. Maij. Fuit Zelandiæ etiam Gubernator, ac Primas nobilitatis eius Insulæ. Duxit Classem multarum nauium in Hispaniam vt Præfectus. Abauus fuit ei Antonius Magnus Burgundiæ nothus, qui legitimatus fuit à Cæsare, & Pontifice: & hæres fuisset paternarũ ditionum, si ante eum Carolus hac vitâ excessisset sine hærede. Ita aliqui arbitrantur.

1571. *Ferdinandus de la Barre* Eques D. de Moscroen, etiam supremus Flandriæ Prætor, à Cubiculis, & Consilijs Philippo II. Regi Catholico. 14. Maij. fuit & supremus Flandriæ Prætor.

1591. *Iacobus de Langlee* Eques Baro de Pecques, & Heyne, supremus Flandriæ Prætor. 20. Martij.

1517. *Iacobus de Bossu*, aliàs *Hennin*, Eques Baro d'Auchy, Ioannis Equitis aurei velleris, & Comitis de Bossu cognomento Magni filius. 24. Iulij. Obijt 10. Nouemb. 1618.

1618. *Carolus à Burgundia* Eques Ordinis S. Iacobi, Baro de Wacquen, &c. vir heroicâ planè indole præditus, ac præclaris admodum animi, corporisque dotibus à natura instructus. 11. Decembris.

CAPVT

CAPVT III.

Fasti Consulares.

ANno redempti orbis millesimo trecentesimo primo declarati Consules.

VVilhelmus de Iuede. *Balduinus Parijs.*
Obsidetur Mechlinia à Comite Flandrorum.

Ioannes ab Aueldonck. *Christianus de Beuere.* 1302.
Hoc anno Ioannes Borluyt Nobilis Gandauensis Cortracum profectus, cum quinque millibus Gandauensium, in campis Groningensibus cecidit castra Philippi Pulcri Gallorum Regis, affecitque horribili clade; alias insuper ducente copias Guidone Flandrorum Comite.

Balduinus Parijs. *Simon de Brune.* 1303.
Ad Vitriacum fugatur Gallus à Flandris.

Godeuardus Parijs. *Nicolaus Mojkin.* 1304.
Apud Duacum moritur Guido Dampetra XXIV. Flandriæ Comes; ad montem Pabulanum fugatur exercitus Philippi Pulcri.

Ioannes vten Dale. *Balduinus vuter Ameeden.* 1305.

Basselinus vanden Putte. *Balduinus Parijs.* 1306.

Simon Bette. *Ioannes ab Aueldonck.* 1307.
Hoc anno exterminantur (iure an iniuriâ, alij dicant) in Gallia Templarij.

1308. *Balduinus Parÿs.* *Ioannes van Gauere.*
Hoc anno à duodecim Scabinis Consul in exilium pulsus. Coronatur Imperator Henricus Luxemburgensis Aquisgrani.

1309. *Georgius vten Meerham.* *Gerulfus de Pape.*
Hoc anno pelluntur totâ Galliâ Iudæi, eorum bonis fisco addictis.

1310. *Basselinus vanden Putte.* *Ioannes van Coyghem.*
Hyems ab hominum memoria acris, & aspera.

1311. *Macarius van Schoorisse.* *Iudocus van Landeghem.*

1312. *Balduinus vuter Volderstraete.* *VVilhelmus Bette.*

1313. *Ghyselbertus Reynvisch.* *Balduinus Borluyt.*

1314. *VVilhelmus de Breere.* *Nicolaus vander Hoyen.*
Hoc anno Gandaui suspenditur in Belforto maximæ molis Campana Rolandus dicta. Moritur Rex Gallorum Philippus Pulcher Flandris infestus, sed suo plerumque damno.

1315. *Henricus Boele.* *Iacobus de Ruddere.*
Ingens fames per Flandriam, & vicinas regiones. Hanc secuta est ingens quoque pestilentia, tertiam hominum partem Gandaui, & alibi depopulata.

1316. *Ioannes vten Dale.* *Ioannes van Coyghem.*

1317. *VVilhelmus de Breere.* *Segerus de Groote.*
Pons Comitis, vulgò 's Grauenbrugghe, hoc anno constructus. *D. VVil-*

D. VVilhelmus VVenemaer. *Ioannes van Cuyghem.* 1318.

Ioannes vten Dale. *Balduinus vanden Kerckhoue.* 1319.

A septem Scabinis pelluntur in exilium hoc anno sex reliqui.

Balduinus vander Ameeden. *Ioannes Masch.* 1320.

Ghyselbertus Reynvisch. *Thomas van Vaernewyck.* 1321.

Hoc anno exuruntur in Gallia leprosi, fontibus per eorum malitiam, & lustralibus aquis passim veneno infectis, vnde magna hominum secuta mortalitas.

Ioannes Masch. *Nicolaus vanden Putte.* 1322.

Hoc anno fundatur hospitale in foro S. Pharahildis pauperibus enutriendis à Wilhelmo Wenemario, & Margareta eius coniuge. Moritur Robertus Flandriæ Comes ætatis LXXXII.

Balduinus vander Ameeden. *Simon Sermaghelins.* 1323.

Magnum Cortraci, & Slusæ incendium.

Thomas van Vaernewyck. *Nicolaus vanden Putte.* 1324.

Claudius Damman. *Ioannes de Pape.* 1325.

Hoc anno cœpta ædificari Halla sub Belforto Gandensi; cæsa item tria millia Textorum Gandensium. Vritur arx in Peteghem iuxta Aldenardam à Brugensibus.

Nicolaus vanden Putte. *Ioannes Paryjs.* 1326.

Hoc anno data Gandensibus centum millia librarum Parisiensium à Rege Gallorum Carolo, quia Principi suo fidi manserant illi, suppetiasque tulerant aduersus sedi-

seditiones Brugensium. A Gandauensibus Eclonia cæduntur Brugenses.

1327. *Thomas van Vaernewyck.* *Ioannes Vutenhoue.*

1328. *Ioannes Masch.* *Claudius Damman.*
Conflictus Casletanus. Iprenses cæduntur Poperingę.

1329. *Salomon Borluyt.* *Simon Ioorijs.*
Nascitur apud Maleam (castellum Brugis vicinum est) Ludouicus, vulgò Maleanus, & ab Episcopo Tornacensi in præsentia multorum Magnatum sacrâ Baptismatis vndâ abluitur.

1330. *Thomas van Vaernewÿck.* *Claudius Damman.*
Magnum Dixmudæ incendium, exusto templo, & potissimâ vrbis parte.

1331. *Ioannes Masch.* *Ioannes Parijs.*
Hoc anno magnum Cortraci incendium.

1332. *Salomon Borluyt.* *Ioannes Vutenhoue.*
Oritur graue bellum inter Anglos, & Francum.

1333. *Thomas van Vaernewÿck.* *Simon Sermaghelins.*
Eligitur à Gandauensibus Iacobus Arteueldius, vir manu fortis, copiarum ductor, contra Francos pro Anglis pugnaturus, obtestatus Gandauenses, vt nequaquam res suas illi tum committerent, fiderentque, cum illum ædes magnificas construentem, & pinguia liberis suis auratorum Equitum matrimonia sectantem viderent.

Petrus

Petrus vanden Cautere. *Ioannes Masch.* 1334.
Incendium Mechliniæ. Ad Cadsantum Anglus cladem infert.

Salomon Borluyt. *Claudius Damman.* 1335.

Ioannes Masch. *Ioannes Borluyt.* 1336.
Moritur hoc anno Sigerus Cortracensis Flandrorum Equitum nobilissimus, & in monasterio Trunchiniensi sepelitur.

Thomas van Vaernewyck. *Claudius Damman.* 1337.

Ioannes Speliart. *VVilhelmus de Meersman.* 1338.
Anno 1332. postremus Scabinorum fuit.

Simon Pariis. *Ægydius Reynvisch.* 1339.
Proficiscitur Ludouicus Niuernensis cum vxore sua Parisios. Gandauenses, quod ante plurimis annis soliti, pijssime ad processionem B. Virg. Tornacum veniunt, & ingentia dona ferunt.

Vide passim in histor. Tornacensi Ioannem Cognatū.

Ioannes vanden Voet. *Ioannes van Tessele.* 1340.
Tornacum ab Eduardo Anglorum Rege cum Arteueldio obsidetur. vincitur Orchiacum, & opidum S. Amandi.

Ægydius Reynvisch. *Gerulfus de Grutere.* 1341.
In monasterio S. Bauonis enixa est hoc anno Angliæ Regina Ioannem Lancastrium, vulgò Gandauensem.

VVilhelmus de Meersman. *Simon Serthomaes.* 1342.

1343. *Simon Parÿs.* *Petrus de Clerck.*
Hoc anno constituuntur Gandaui à Iacobo Arteueldio LXXIII. Decani opificiorum, & eorum vnus Exarchus, siue Decanus supremus, Decanus item Textrinulæ. Sub hoc Arteueldio maximè viguit per Flandriam Democratia, aut aliquid populari regimine deteriùs.

1344. *Nicolaus Vtenhove.* *Iacobus Arteueldius.*
Occiditur hoc anno Iacobus Arteueldius à plebe. Grauis inter Fullones, & Textores Gandaui seditio.

1345. *Simon Parijs.* *Liuinus de VVaele.*
Grauis per orbem grassatur pestilentia. Cęditur à Frisonibus Hannoniæ Comes.

1346. *Ioannes VVillade.* *Simon Parÿs.*
In Conflictu Crequiacensi hoc anno occubuit Ludouicus Niuernensis Flandriæ Comes, & insigni victoriâ contra Gallos potitus est Eduardus Angliæ Rex.

1347. *Nicolaus Vtenhoue.* *Ægidius vander Palen.*
Expugnatur ab Anglorum Rege Caletum.

1348. *Leuinus van Veurne.* *Simon vanden Kerckhoue.*
Eodem anno declarati Coss. Henricus de Grutere, & Iacobus Reynvisch. Obsidetur à Gandauensibus Alostum.
His temporibus exusti per Germaniam Iudæi, quia, vt antè per leprosos in Gallia factitatum fuerat, fontes veneno infecerant.

1349. *Ægidius Reinvisch.* *VVilhelmus vanden Putte.*
Nascitur Margareta Ludouici Maleani filia, post Philippo

lippo Audaci Burgundionum Duci nupta.

Per Scabinos Gandauenses liberatur è carcere Cameracensis Episcopi Abbas Eenamiensis.

Simon vanden Kerckhoue. *Euerardus de Grutere.* 1350.

Annus Iubilæus celebratur Romæ.

VVilhelmus vanden Putte. *Ioannes Iours.* 1351.

Ludouicus Maleanus in Galliam profectus fęmellam fætu gemino à se grauidam in Flandria reliquit, vtque eadem munificè, & humaniter ab illa haberetur, vxori suæ mandauit. Hæc marito absente prægnantem occidi iussit, inuentique sunt in vtero duo filij. Ludouicus è Gallia redux, & feralis homicidij factus certior, assentiente socero suo Ioanne Brabantiæ Duce, vxorem Margaretam perpetuo carceri inclusit.

Simon Serthomaes. *Ghyselbertus vanden Poele.* 1352.

Ingens hoc anno dissidium inter Abbatem, & Monachos Eenamienses fuit. Tandem conuentum, pro dignitate suæ personæ sumptibus monasterij Abbas aleretur, & quotannis rationem accepti, & expensi Religiosis suis redderet, etiam absque consilio, & assensu suorum bona nulla elocaret. quod in pluribus alijs monasterijs hodie si obseruetur, è commodo eorundem sit, & bonorum fructu, & Religiosæ disciplinæ augmento.

Simon vanden Kerckhoue. *Simon van Rauesschot.* 1353.

Hoc anno magnum in Parœcia B. Virginis Blandiniensis incendium: absumptę domus nongentæ cum varijs eorum locorum incolis: alij in annum 1355. hoc reijciunt.

1354. *VVilhelmus vanden Putte.* *Euerardus de Grutere.*
Horrenda Solis Eclipsis ad horas XVII. durat.

1355. *Simon Serthomaes.* *Gerulfus Bette.*
Incendium magnum ad D. Bauonis. Moritur Ioannes Brabantiæ Dux, & sepelitur Villariæ.

1356. *Goswijnus Mulaert.* *Alexander Serſanders.*
XVII. Augusti victa à Flandris Bruxella.

1357. *Ioannes Damman.* *Segerus vten Dale.*
Pulsus hoc anno à Scabinis in exilium Consul, & Ammannus. Magna calamitas ab aquarum inundatione per Flandriam in quatuor Ambachtis.

1358. *Iordanus Serſanders.* *Hugo van Lembeke.*
Hoc anno Gandauenses per vniuersam pænè Flandriam cursitant populabundi. Gandaui inter fullones, & textores seditio.

1359. *Ioannes van Vaernewÿck.* *Iacobus Bette.*
Coalescit pax inter Anglum, & Francum, eam secuta pestis grauissima.

1360. *Gerulfus Bette.* *Petrus vanden Kerckhoue.*
Alosti maximum hoc anno incendium, adeò vt ventis agitantibus ignem, scintillæ Gandauum vsque volitarent. Eodem tempore Gandaui extra Santportam exustæ domus trecentæ, reliquis post octiduum etiam flammâ absumptis.

1361. *Simon Damman.* *Laurentius van VVeſtvelde.*
Horribiles venti molas, & ædificia passim in terram deijciunt.

Iacobus

Iacobus VVillebaert. *Ioannes Damman.* 1362.

Philippus Burgundiæ Dux, cognomento Audax, Margaretam Ludouici Maleani filiam vxorem capit. Hoc 1369. Locrius, & alij narrant.

In vrbe Yprensi grauis tumultus. Præcipitatur à ciuibus per fenestram summus Prætor; occiditur & Iudocus Belliolanus.

Iacobus Bette. *Iacobus vander Linden.* 1363.

Hoc anno multati à Magistratu Gandauensi, Ammannus, & Scabini Aldenardenses, eò quòd contra Iacobum van Vaernewijck, ciuem Gandauensem, contra vrbis suæ priuilegia, sententiam tulissent. Ex hac pecunia empta Lampas, & ad perpetuam rei memoriam suspensa in æde D. Ioannis Baptistæ ad imaginem eiusdem Sancti.

Simon Damman. *Simon vanden Kerckhoue.* 1364.

Moritur Ioannes Francorum Rex; successit Carolus hoc nomine Quintus. Hic Carolus Ducatus Burgundiæ donationem Philippo Audaci factam confirmauit. Vide Meyerum.

Iacobus VVillebaert. *Claudius de Pape.* 1365.

Iterum ad Diui Bauonis ingens incendium Gandaui.

Ob cædem Angiani Toparchi, iussu Alberti Hollandiæ Comitis factam, oritur graue bellum inter Flandros, & Hollandos.

Ioannes Borluyt. *Iacobus van Rauesschoot.* 1366.

Turris Ecclesiæ D. Nicolai Bruxellis nutante mole subsidit.

1367. *VVilhelmus vanden Putte.* *Iacobus Bette.*

Ingens per Flandriam mortalitas.

1368. *Iacobus VVillebaert.* *Simon vanden Putte.*

Hoc anno cœptum ædificari Castellum in Wondelghem, quod paucis annis cùm stetisset, à Gandauensibus cum supellectile Maleani direptum, incensumque est, Ioanne de Leeu Alborum Caputiorum ductore.

Bellum inter Galliæ, & Angliæ Reges renascitur.

Carolus Galliæ Rex Ludouico Maleano Flandriæ Comiti, cuius ære grauiter premebatur, Insulas, Duacum, & Orchiacum cum omnibus suis agris restituit. Vide Meyerum.

1369. *Ioannes van Sickelen.* *Ioannes van Leden.*

Exuruntur Bruxellæ sacrilegi Iudæi, qui pugionibus Hostias consecratas confixerant, è quibus sanguis emanauit. Philippus Audax cum Margareta Ludouici Maleani filia init coniugium Gandaui ad D. Bauonis. Fuere præsentes Venceslaus Dux Brabantiæ cum Ioanna coniuge, alijque Principes, ac Magnates. Ita Locrius.

1370. *Ioannes Borluyt.* *Simon vanden Putte.*

Inchoatur monasterium vulgò de Groenenbriele. Angli per Arcesiam cursitant populabundi.

1371. *Ioannes VVillebaert.* *Iacobus van Rauesthoot.*

Dominicâ Palmarum graue incendium ad D. Petri.

Quinto Kalend. Iunias nascitur Ioannes Burgundiæ Dux, & 23. Martij Ludouicus Aurelianensis. Fuerunt hi duæ faces quibus tota pænè Gallia exarsit.

1372. *Simon vanden Putte.* *VVilhelmus Bette.*

Fossores

Fossores Brugensium pænè omnes ad nouam Leyam cæduntur à Gandauensibus.

Collocantur in Ponte vulgò d'Hooftbrugghe imagines filij, & patris æneæ. Filio patris caput amputare volenti ensis rumpitur.

Prima Abbatissa constituitur ad Viridem Brielam. Grauiter à Comite Ludouico puniuntur Cortracenses; quòd ciuem quendam Gandauẽsem Simonem de Veau contra Iuris ordinem, & vrbis priuilegia, morte condemnassent. Primò statutum, vt amicis, & adfinibus dicti Simonis persoluerent Cortracenses quinquaginta libras Flandricas.

Quotannis autem in perpetuum pro Anniuersario, quod apud Fratres Minores Gandaui fieret, sex libras Parisienses; item vt ijdem Cortracenses, non distantius, quàm ad tria milliaria ab vrbe Gandauensi fundarent annuum reditum XXIV. librarum Parisiensium ad celebrationem quotidianæ Missæ in Domo senatoria Gandauensi. Scabini decem Cortracenses veniam delicti à Senatu nostro deprecabuntur. Exequias defuncto apud FF. Minores Gandaui Cortracenses curabunt. Ne quid tale ampliùs contra vrbam Gandauensem attentarent, sub pœna duodecim millium librarum Parisiensium, atque interim Comiti soluerent trecentas libras Flandricas. Actum XV. Aprilis 1372. præsentes fuêre, Dominus de Schoorisse, Dominus de Maldeghem, Gerardus van Rasseghem Eques, Philippus van Masseme Eques, Decanus Leodicensis, Cancellarius, Decanus S. Donatiani, Præpositus S. Pharahildis, Tostardus vander Hostyne Eques, Ioannes vander Sickele, Wilhelmus vander Asselt, & Henricus Lippens, Quæstor Principis.

Ghysel.

1373. *Ghyselbertus de Grutere.* *Alexander van Lede.*

Quidam noctes, atque dies choreis, & saltationibus insanis vacantes, Flandriâ totâ proscribuntur; ego impostores, & Magos fuisse existimo.

1374. *Ioannes Borluyt.* *VVilhelmus Bette.*

Occiditur summus Prætor Gandauensium. Exuritur Castellum in Wondelghem.

1375. *Simon vanden Putte.* *Ioannes vuten Dale.*

Exuritur Templum S. Petri. Viluordiæ arx à Vencesłao construitur, quæ nobilium posteà apud Brabantos virorum, si quid commisissent, carcer fuit, vt apud Flandros arx Rupelmondana.

1376 *Ghyselbertus de Grutere.* *Ioannes van Lede.*

Veniunt Gandauum Duces Andegauensis, & Britannus, Princeps item Walliç, & Lancastrius, de pace, vel longis inducijs inter Reges, Gallum, & Anglum, tractaturi.

1377. *Simon vander Sickele.* *Alexander van Lede.*

1378. *Ioannes van Lede.* *Ioannes vuten Dale.*

Acre bellum inter Comitem Ludouicum, & Gandauenses. Ingens incendium ad D. Petri, quo absumitur Ecclesia, Monasterium, & quingentæ domus, alij 700. referunt. Agit Ludouicus Comes Gandaui in posterna, luxui, choreis, alijsque voluptatibus deditus, & quod prauum, ac Reip. pernitiosum est, Iuniorum consilio vsus. Quod Gandauensibus admodum displicebat.

Schisma inter Vrbanum, & Clementem, longum, &

& Ecclesiæ perquam noxium.

Ghyselbertus de Grutere. *Simon Bette.* 1379.
Obsidetur à Comite Ludouico Gandauum, obsidentibus interim Gandauensibus Teneramundam, & Alostum. Astu capiunt Gandauenses Aldenardam, nobilibus istic multis, & Comitis Ludouici asseclis occisis.
Decollantur Gandaui in Iunio quinquaginta personæ.
Eodem anno veteribus abrogatis statuuntur Coss.

Ghyselbertus de Grutere, Balduini F. Henricus van Adeghem.
Conflictus inter Brugenses, & Gandenses; cæsis Brugensibus, Ioannes Yoens, Capitaneus Gandauensium, Donsam, Alostum, Teneramundam, aliasque Flandriæ ciuitates, & Castellanias in verba Gandauensium cogit. Ecloniam transiens Toxico perimitur, magno Gandauensium mœrore.

Simon vander Sickele. *Iacobus van Raueschoot.* 1380.
Gandauenses Dixmudam profecti sunt, multis suorum desideratis. Istic creatus Eques Balduinus de Vos. Senatus populari seditione è domo prætoria Louanij præceps datur.

Simon Bette. *Ioannes vanden Kerckhoue.* 1381.
Cæsi Simon Bette, & Ghyselbertus de Grutere Coss. Ægidius item de Voldere supremus Gandauensium Capitaneus. Captum à Gandauensibus Ardenburgum, & spoliatum. Constituitur Capitaneus Gandauensium Philippus ab Arteuelda, vir fortis, & animosus. Amplissima spolia Gandauum deuehuntur. Vinum asse venit.
Tertia Maij à Gandauensibus memorabili victoriâ

ſuperatur Bruga. Fugit Ludouicus Comes. Portæ Brugenſes, S. Crucis, Gandenſis, & S. Catharinæ ſolo æquantur, ruderibuſque earum foſſæ implentur. Tota ferè Flandria in ditionem Gandauenſium cedit. Walterus Angianus ad portam Cæſaream occiditur à Gandauenſibus, magno Comitis luctu. Cæduntur & multi Brugenſium, eorumque vexilla ad omnes vrbis portas ſuſpenduntur.

1382. *Goswinus Mulaert.* *VVilhelmus vanden Putte.*
Superatur à Gandauenſibus in feſto S. Lamberti Aldenarda. Conſtituitur Gandauenſium Capitaneus Franciſcus Ackermannus, qui, iunctis Anglorum copijs, præclara multa geſſit, in Flandria potiſſimum occidentali.

1383. *Iacobus Raueſchoot.* *Henricus van Adeghem.*
Moritur Venceſlaus Brabantiæ Dux. Conflictus ad Roosbekam cæſo Philippo ab Arteuelda. Moritur Ludouicus Maleanus, & piè condonat, quidquid in illum fortè Gandauenſes deliquiſſent, obteſtatus Philippum generum, & filiam Margaretam, idem vt factitarent. Philippus Ackermannus ſuperat Aldenardam.

1384. *Ioannes de Ionghe.* *VVilhelmus vanden Putte.*
Horribilis apparet Cometes, rubeo, flauo, viridi, ac nigro colore tinctus.

Franciſcus Ackermannus cum Gandauenſibus, & Anglis proficiſcitur Dammum, idemque expugnat, & diripit.

Eligitur Gandaui Capitaneus Balduinus de Rijcke, Principi, & Nobilitati vehementer infeſtus.

Ioannes

Ioannes vanden Kerckhoue. *Daniel van Vaernewijck.* 1385.
Firmatur pax inter Ducem Philippum, & Gandauenses, & pridie Natalis Domini promulgatur Gandaui.

Iacobus vanden Putte. *Balduinus van Rauefchoot.* 1386.
Baiazetes Turcarum Imperator à Tamerlane captus, caueæ, veluti canis, includitur. A Rege Francorum Slusę construitur Castellum, aduersus Anglos propugnaculum futurum.

Ioannes Vutenhoue. *VVilhelmus de Grutere.* 1387.
Franciscus Ackermannus, in cæmiterio B. Virginis in monte Blandinio, occiditur à Claudio Bastardo van Heerzele.

Gerulfus Borluyt. *Daniel van Vaernewijck.* 1388.
Proficiscuntur Gandauenses ad Gerardimontem.

Iacobus vanden Putte. *Balduinus van Rauefchoot.* 1389.
In Martio venti validissimi molas, tectaque passim deijciunt.

Nicolaus Vutenhoue. *VVilhelmus de Grutere.* 1390.

Gerulfus Borluyt. *Balduinus de Bree.* 1391.
Adhærent Vrbano Papę Gandauenses, contra voluntatem Philippi Ducis fouentis partes Clementinas.

Ioannes Vutenhoue. *Ioannes vanden Kerckhoue.* 1392.
Vitiatur Anglia hæresibus Ioannis Wiclef.

Nicolaus Vutenhoue. *Ioannes Sloue.* 1393.

Petrus Serfimoens. *Gerulfus Borluyt.* 1394.

 Moritur

Moritur Wilhelmus Comes Iuliacensis, vir facinoribus bellicis clarissimus. Veniunt Gandauum Brugenses, ad sacram in Pascha Synaxin; quia Clementinis partibus adhærebat cum Comite clerus Brugensis.

1395. *Iacobus vanden Putte.* *Ioannes Sloue.*
Ad Nicopolim ingenti strage cęduntur Christiani, & à Kalepino Turcarum Cæsare capitur Ioannes Diuionensis Philippi Burgundionum Ducis filius.

1396. *Gerulfus Borluyt.* *Balduinus van Raueschoot.*

1397. *Petrus Sersimoens.* *Ioannes Sloue.*

1398. *Iacobus vanden Putte.* *Ioannes vanden Kerckhoue.*
Pellitur in exilium quinquaginta annorum à Gandauensibus Iacobus à Lichteruelde Eques, Supremus Flandriæ Prætor; quòd Ioannem Perehoue ciuem Gandauensem propriâ, & non ex Senatus Gandauensis auctoritate, capite mulctasset.

1399. *Gerulfus Borluyt.* *Ioannes Sersimoens.*

1400. *Petrus Sersimoens.* *Ioannes Sloue.*
Priuilegia vrbis è Monasterio FF. Minorum, vbi dudum latuerant, deferuntur ad Belfortum, atque istic à deputatis Regis Gallorum in caussa Iacobi de Lichteruelde examinantur. Antonius Iacobi filius Senatum deprecatus, patri reditum impetrat, exilijque memoriam ex actis publicis abolet.

1401. *Iacobus vanden Putte.* *VVilhelmus Sersimoens.*
Pons S. Michaëlis, qui anteà ligneus, è lapide sternitur. Inchoatur Domus Senatoria Bruxellæ, ampla & magnifica.

Matthæus

Matthaus Damman. *Ioannes Sloue.* 1402.

Moritur Margareta Ludouici Maleani filia. alij 1405. id accidisse referunt. Moritur & Philippus Burgundionum Dux, & apud Diuionenses in Carthusia sepelitur, cuius fundator exstitit.

Petrus Sersimoens. *Ioannes van Vaernewyck.* 1403.

Moritur Albertus Bauarus, Comes Hollandiæ, Zelandiæ, & Hannoniæ, Dominus Frisiæ. Sepultus in sacello Palatino Hagæ Comitis.

Claudius Damman. *Iacobus vanden Putte.* 1404.

Contra Anglos Ardenburgum proficiscuntur Gandauenses. Ad Dunkerckam capitur cete longum pedes 82. altum 19. Collecta ex eo vasa adipis XXVII.

Suscipit Gubernacula Flandrorum Ioannes Diuionensis.

Matthaus Damman. *Gerulfus Borluyt.* 1405.

Ludouicus Aurelianensis Parisijs occiditur. alij 1407. id factum referunt. Quidam Gandaui seditionem concitantes, & ad arma progressi, iussu Senatus capite obtruncantur, & rotis ad Mudam inseruntur.

Petrus Sersimoens. *Ioonnes van Vaernewyck.* 1406.

Ioannes Sersimoens. *Gerulfus Borluyt.* 1407.

Magna aquarum inundatio Brugis. Hiems acris, & aspera.

Stephanus van Lidekercke. *Ioannes van Vaernewyck.* 1408.

Apparuit Cometes miræ magnitudinis.

1409. *Petrus Serſimoens.* *Ludouicus vander Moere.*

Hoc tempore adſeſſores Concilij Prouincialis in Flandria tantùm quinque, M. Daniel Alart, M. Ioannes Doret, M. Iudocus de Steelant, M. Goſwinus Syluagius, M. Ægidius vander Woſtijne. Additi per Ducem Philippum quatuor, Dominus de Moerbeke, M. Simon de Formelis, M. Ioannes vande Ketulle, M. Franciſcus à Gandauo.

1410. *Claudius Damman.* *Ioannes van Vaernewyck.*

1411. *Stephanus van Lidekercke.* *Ioannes Serſimoens.*

1412. *Ludouicus vander Moere.* *Ioannes van Vaernewyck.*

1413. *Ioannes Serſimoens.* *Claudius Damman.*

1414. *VVilhelmus Vutenhoue.* *Ioannes Serſanders.*

Moritur Catharina filia Ioannis Burgundiæ Ducis, & ſepelitur Gandaui ad D. Pharahildis in Choro. Honoratur imago B. Mariæ Virginis apud Ledam, nunc Baronatũ in ditione Aloſtana, à Betticâ Gente poſſeſſum.

1415. *Stephanus van Lidekercke.* *Claudius Damman.*

1416. *Victor vander Sickelen.* *Balduinus de Grutere.*

Inter Anglum, & Flandros, adnitente Ioanne Flandrorum Comite, pax coaleſcit.

1417. *Claudius Damman.* *Ioannes Serſimoens.*

Eligitur Pontifex Martinus Quintus, anteà Odo de Columna. vir Eccleſiæ vtiliſſimus, & pernicioſi ſchiſmatis diremptor oportunus.

Domi-

Dominus de Liladam nomine Ducis Burgundici inuadit Lutetiam Parisiorum, editâ magnâ nobiliū Francorum strage. Occubuêre in primis Comes stabuli Franciæ, Bernardus Comes Armeniacus, Cardinalis Barensis, Episcopus Parisiensis, Archiepiscopus Remensis, Episcopus Constantiensis, Abbas S. Dionysij, Cancellarius regni, alijque plures spectatæ conditionis Equites, Principesque.

Balduinus de Grutere. *VVilhelmus Vutenhoue.* 1418.

Incendiarij Prædones per Flandriam præcipuè occidentalem ex Anglia missi grassantur. Vstulationes factæ Poperingæ, Virouiaci, Roussélarij, Eecloniæ, Dixmudæ, Ardenburgi, & Brugis. Capti ex ijs multi, & forcipibus ardentibus membratim, per plateas curribus vecti, distracti sunt; tandem capita præcisa, & rotis imposita. Erant qui eos suasu Ducis Aurelianensis in Flandriam venisse dictitarent, ad paternæ necis vltionem.

Ioannes Sersimoens. *Stephanus van Lidekercke.* 1419.

Occiditur Monstrolij Ioannes Burgundiæ Dux. Succedit ei Philippus filius Reuocati Gandauum Exules ex gratia, & consensu Senatorum.

VVilhelmus Vutenhoue. *Victor vander Sickele.* 1420.

Incendium ad D. Bauonis Gandaui. Graues circa Dordracum inundationes. Submersæ LXXII. Parochiæ. Venit Gandauum Philippus Burgundiæ Dux. Offeruntur ei aliquot honoraria munuscula, septem Pisces Lucij, & aliquot vini pocula. Pretium eorum trium librarum quatuordecim solidorum fuit. Illa si modò dentur, offensam pariant donantibus, & probrum, in tantum mutata

mutata sunt tempora, & viuendi mores. Meritò exclamem:

Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

1421. *Ioannes Serſanders.* *Balduinus de Grutere.*
Creati hoc anno Equites, Adrianus Vilain, Ioannes à Luxenburgo, Ioannes vanden Eede, Petrus van Westhuysen. Moritur Michaelis filia Francorum Regis, & vxor Philippi Comitis. Sepulta ad D. Bauonis in Choro.

1422. *Ioannes Serſimoens.* *Simon Bette.*
Pons, vulgò de Vee-brugghe, è lapide sternitur.

1423. *Balduinus de Grutere.* *Goswinus van Vaernewijck.*

1424. *Ioannes Serſanders.* *VVilhelmus Vutenhoue.*

1425. *Ioannes Serſimoens.* *Victor vander Sickelen.*
Noua Halla apud Belfortum inchoatur.

1426. *VVilhelmus Vutenhoue.* *Simon Bette.*
Fundatur Academia Louaniensis à Ioanne Brabantiæ Duce, assentiente, & priuilegijs eam honestante Martino Quinto Romano Pontifice.

1427. *Nicolaus van Hoedevelde.* *Balduinus de Grutere.*
Moritur Ioannes Brabantiæ Dux. Succedit Antonius Frater. Pelluntur in exilium Gandaui in Vigilia Natiuitatis Domini CLXXII. personæ.

1428. *Ioannes Serſanders.* *Gosuardus van Vaernewijck.*
Floret Ioanna Aurelianensis; Anglorum exitio, & magno Gallorum bono.

Phi-

Philippus Dux connubio sibi iungit Isabellam Lusitani Regis filiam, & mortuo Namurcensi Comite, adit possessionem eiusdem Comitatus.

Ludouicus vander Hole. *VVilhelmus Vutenhoue.* 1429.

Exuritur ab Anglis Rothomagi Ioanna Aurelianensis. Puniuntur Casletani Principi Rebelles. Colardus van Clijte Prætor Casletanus, nimium rigidus mulctarum exactor, è fenestris suę arcis præceps datur.

Nicolaus van Hoedevelde. *Petrus vander Meulene.* 1430.

Confirmatum à Philippo Gandauensibus Priuilegium, quo in omni per Flandriam consessu, ipsi primi forent, exceptis Brugensibus, qui in sua vrbe ipsos præcederent. Nascitur Antonius Philippo Burgundionum Duci filius, & ab Episcopo Tornacensi baptizatur in Ecclesia Cauwerburgica Bruxellæ.

VVilhelmus Vutenhoue. *Balduinus de Grutere.* 1431.

Petrus vanden Meulene. *Gerulfus Borluyt.* 1432.

Nascitur Gandaui Iudocus filius Philippi Boni secundo genitus. ac mox denascitur.

Opificia, & Textrinulam Gandauensem magnis honorat Priuilegijs Philippus Princeps. Seditionibus varijs laborat Resp. Gandauensis.

Iudocus Vijts. *Simon Bette.* 1433.

Nascitur Philippo Principi Carolus Carolesius apud Diuionem in Burgundia Multantur grauiter Brugenses, quòd ciuem Gandauensem in exilium compulissent.

Goswinus van Vaernewijck. *Philippus Serfanders.* 1434.

Pannus Anglicanus per Flandriam vendi vetitus. Aëris, & aspera hiems.

1435. *Petrus vander Meulene.* *Segerus Sloue.*

Studio Romani Pontificis, qui binos in eam rem Atrebatum Cardinales misit, pax firmatur inter Anglum, & Francum Reges, & Philippum Burgundiæ Ducem. Venit eorum alter Cardinalis Gandauum, & oratione Latinè salutatur à M. Ioanne Culsbrouck Præposito S. Pharahildis.

1436. *Leuinus Damman.* *Georgius vander Moere,*

Grauis inter Plebem, & Magistratum Gandauensem discordia.

1437. *Petrus Sersimoens.* *Iacobus van Raueschoot.*

Occiditur Brugis Dominus de Lileadam.

1438. *Hector van Vuerhaute. Ioann. van Vaernewijck D. de Exaerde.*

Ingens Gandaui fames. Eliguntur XIV. spectatæ conditionis viri, qui Atrebatum ad Principem, pacis cum eo, & Brugensibus componendæ gratiâ, proficiscantur.

1439. *Adrianus Vilain Eques.* *Stephanus van Lidekercke.*

1440. *Ioannes Vilain Eques.* *Ægidius van Grammene Eques.*

Hoc anno à Colardo van Comene supremo Flandriæ Prætore, Ducisque Consiliario, ab vtriusque item subsellij Senatoribus iaciuntur fundamenta nouæ Ecclesię D. Michaëlis Gandaui.

1441. *Gerardus van Gistele.* *Ioannes Alaert.*

Campana opificum in Belforto suspenditur, & Magnus

gnus Gandauensium Prætor pellitur à Magistratu Gandauensi in exilium.

Georgius Vutenhoue. *Nicolaus Triest Eques.* 1442.

Balduinus de Vos Eques. *Nicolaus van Hoedevelde.* 1443.

Coronatur Aquisgrani Federicus Romanorum Imperator.

Nicolaus Triest Eques. *Georgius vander Moere.* 1444.

Ioannes vander Züpe. *Philippus Serſanders.* 1445.

Creantur à Philippo Comite in Ecclesia S. Ioannis Gandaui Equites Aurei velleris. Fastigio Belforti imponitur Auratus Draco. Monomachia in foro Veneris Gandaui inter Equitem Siculum, & Iacobum Lalanum.

Georgius Vutenhoue. *Petrus Serſimoens.* 1446.

Pelluntur in exilium à Magistratu Gandauensi duo Prouincialis Concilij adsessores, Georgius Schmil, & Ludouicus van Aerderijck.

Nicolaus Triest Eques. *Iacobus Vutenhoue.* 1447.

Obit B. Coleta in Monasterio Pauperum Clarissarum. Daniel Serſanderius connubio iungitur Margaretæ Hardorens, & eximijs eo tempore muneribus ab opificijs, decurionibus, & alijs honoratur.

Philippus Serſanders. *Iacobus van Rauesſchoot.* 1448.

Terræ motus in festo S. Georgij. Exigit vectigal à Flandris Salinum Philippus. Negant Gandauenses.

Iudocus Triest. *Ioannes vander Züpe.* 1449.

Eod. ann. *Hector van Vuerhaute.* *Iacobus Vutenhoue.*

Pax inter Principem Philippum, & Gandauenses componitur; & Magnus Gandauensium Prætor creatur Gerardus Gistellanus. Cæditur ad Rupelmondam Cornelius Philippi Principis nothus. Mittit suos Philippus Gandauum, & à Gandauensibus exigit, vt de ijs pro suo arbitrio statuant; Danielem Sersanders virum animosum, Leuinum de Pottere, & Leuinum Sneevoet.

1450. *Stephanus Lidekerkanus Eques.* *Ioannes Vutenhoue.*

Varijs modis infestat Gandauenses Philippus.

1451. *Ioannes Alaert.* *Nicolaus vander Sickelen.*

Decollatur à Gandauensibus Prætor Wasiæ, quòd Decurionibus eorum obedire renuisset. Conflictus ad Gaueram.

1452. *Simon Borluyt.* *Balduinus Rijm.*

Graue incendium varijs in locis Gandaui. Conflictus in Laerne inter Gandauenses, & Comitē Sanpaulinum.

1453. *Ioannes Rijm Eques.* *Ioannes vander Moere.*

Carolus Philippi filius Insulis ducit Isabellam Borboniam.

1454. *Petrus Sersimoens.* *Nicolaus vander Sickelen.*

1455. *Ægidius Hagelijn Eques. Ioann. vā Vaernewijck D. d'Exaerde.*

1456. *Nicolaus Triest Eques.* *Philippus Sersanders Eques.*

Insigni potiuntur victoriâ Christiani aduersus Turcas in Hungaria, triginta millibus eorum cæsis.

1457. *Petrus Sersimoens.* *Lambertus de Stoppelaer.*

Ingre-

Ingreditur vrbem Gandauum Philippus, magnoque populi adplausu, & pompâ excipitur.

Nicolaus vander Sickelen. *Ioannes Vutenhoue.* 1458.

Ioannes de Stoppelaer. *Balduinus Rijm.* 1459.
Puniuntur aliquot Seditiosi, & in Principem maleuoli, acribus pœnis à Gandauensibus.

Iacobus van Raueschoot. *Ioannes Vutenhoue.* 1460.
In aula Philippi Boni versantur ex vniuerso propemodum terrarum orbe Principum Legati, Summi Pontificis, Constantinopolitani, & Antiocheni, Patriarchæ ipsi, Imperatorum Germani, & Trapezuntij, Regum Persiæ, Armeniæ, Mesopotamiæ, Hungariæ, Lusitaniæ, Ducum Venetorum, Georgianæ Prouincię, Turci, Prætojani, ipse Rex Peloponesi Thomas Palæologus cum fratre Demetrio, vno eodemque tempore.

Nicolaus vander Sickelen. *Ioannes Huusse.* 1461.
Inter Lancastrios, & Eboracenses grauia dissidia.

Petrus Sersimoens. *VVilhelmus vander Cameren.* 1462.
Venit Gandauum Patriarcha Antiochenus, vectus Camelis.

Ioannes Vutenhoue. *Philippus Sersanders Eques.* 1463.
Signantur aliquot è flore ciuium Gandauensium rubrâ Cruce, & aduersus infideles proficiscuntur.
Venit Gandauum Regina Angliç Henrici Regis vxor profuga cum Eduardo filio, à Duce Philippo humaniter excepta.

Rolandus van VVedergrade. *Cornelius de Iagere Eques.* 1464.
 Conflictus

Conflictus ad Mondiderium, inter Carolum Carolesum Philippi Ducis filium, & Francorum Regem.

1465. *Petrus Serſimoens.* *Chriſtophorus Trieſt.*
Moritur Philippus Burgundiæ Dux, & Carolum, Principem inclytum, ſuarum omnium ditionum hæredem relinquit. Armantur quadringenti Gandauenſes ad votum Caroli Principis in Leodios Duce Ioanne van Aſſelt, dicto de Nieulant.

1466. *Ioannes de Stoppelaere.* *VVilhelmus vander Cameren.*
Venit Gandauũ Carolus, & ſolemniter inauguratur.

1467. *Iacobus van Raueſchoot.* *Ioannes Vutenhoue.*
Inſurgunt aduerſus Epiſcopum ſuum iterum Leodienſes.

1468. *Rolandus van VVedergrade.* *Balduinus Rijm.*
Acriter puniuntur à Duce Carolo Leodienſes.

1469. *Ioan. van Vaernewijck Eques.* *Rufelardus van Cauwenburgh.*
Statutum à Carolo Duce, vt in qua parte ſuarum Ditionum ipſe exiſteret, iſtic ipſe ius diceret, tribus per hebdomadam diebus.

1470. *Rolandus vã VVedergrade Eques.* *Philippus Serſanders Eques.*
Pellitur Regno Eduardus Angliæ Rex, à Richardo Eboracenſi; & tandem ope Caroli reſtituitur.

1471. *Ioannes de Stoppelaere.* *Ioannes vander Moere.*
Moritur Iſabella Philippi Principis vidua. Obſidetur à Carolo Duce Ambianum.

Ioannes Vutenhoue. *Ægidius Vutenhoue.*

Ferro,

Ferro, & igni depopulatur Galliam Carolus. Conſpicitur Cometa, longo tempore, miræ magnitudinis, flammeus, & inſtar Lunæ per noctem lucens, ſecutarum cladium portentum.

Adolphus Ghelder patrem Arnoldũ captum detinet.

Balduinus Rym. *Iudocus vander Meulene.* 1473.

Curia Mechlinienſis à Carolo inſtituitur. Seditioſa in foro Veneris cum pheretro S. Leuini plebs ſubſiſtit ab annua ſupplicatione in Holthem redux; nec antè mouetur, quàm ex promiſſo Domini de Gruythuyſe votorum compos fieret.

Ruſelardus van CauWerburgh. *Philippus Serſanders Eques.* 1474.

Ioan. Vtenhoue filius Iacobi. *Ioan. vã VaerneWijck D. de Borſt.* 1475.

Comes Sanpaulinus à Senatu Pariſienſi morti adiudicatur, & in Vigilia Epiphaniæ Pariſijs decollatur.

Multa, & grauia exigit à Flandris Carolus Comes, eiuſque votis ſatisfit.

Rolandus van VVedergrade. *Gerardus Trieſt Eques.* 1476.

Multa rurſus à Flandris exigit Carolus; at quia minùs erant æquitati conſentanea, negantur.

Non pluit à Februario vſque in Auguſtum.

Ad Cæſarem Fridericum proficiſcitur Carolus Burgundiæ Dux Treuiros. Cæditur ad Nanceium Carolus Bellicoſus. Plexi capite in foro Gandenſi Cancellarius Burgundiæ Hugonettus, Dominus Imbercurtius, à populo pænè in rabiem acto, ſed non iniuſtas ob cauſſas.

Inauguratur Maria Caroli Bellicoſi filia, mulier animi præſtans; & multis virtutibus clara. Omniaque Gandenſium priuilegia rata habet, & confirmat.

Conſules

Eod. an. Consules Adrianus van Rauefchoot Eques, Rolandus de Baenst Eques, Legati ad Mariam à Maxæmiliano Frederici Cæsaris filio Gandam missi.

Maxæmilianus Gandauum venit, & Mariam connubio sibi iungit. Processere ei obuiam, Senatus, Concilium, & Palatini Nobiles. Quidam Gandaui, qui magistratu non probè functi fuerant, ob peculatum, & alia crimina extremo supplicio afficiuntur, alij in exilium pelluntur.

1477. *Iudocus van Gistele Eques.* *Ogerius van Massemen.*

Nascitur Brugis 23. Iunij Philippus Maxæmiliani filius. Alij in sequentem annum hoc reijciunt.

Canonici Harlebecani à Gallis pulsi Gandauum veniunt, & in capella Textorum diuina peragunt officia.

1478. *Rolandus de Baenst Eques.* *Gerulfus vander Haghen Eques.*

Induciæ inter Maxæmilianum, & Regem Gallorum pactæ. Venit Gandauum Philippus Maxæm. filius, & à ducentis equitibus pueris læto, ac festiuo habitu suscipitur.

1479. *Adrianus van Rauefchoot Eques.* *Adrianus Vilain Eques, Dominus de Rasseghem.*

Nascitur Bruxellæ Margareta. Conflictus ad Blangiacum contra Gallos. Insolescunt Gandaui nebulones quidam Aldenardæ nati, qui post cędem etiam aliquorum Gandensium, & iniurias in Magistratum, gabalo ad Mudam innectuntur.

1480. *Iudocus van Gistele Eques.* *Georgius vander Moere.*

Pellitur in exiliũ quinquaginta annorũ ob contumeliamMagistratui illatam quidã Iacobus Clauwaer Eques.

Adrianus

Adrianus Vilain Dominus de Rasseghem. VVilhelmus Bette. 1481.
Cæditur Antuerpiæ Ioannes van Dadizele magnus Gandauensium Prætor. Pelluntur in exilium à Gandauensibus, vt auctores dissidij inter ipsos, & Principem, Dominus de Gaesbeke, Dominus à Praet, Dominus à Duzele. Nascitur Franciscus Bruxellæ Maxæmiliani filius.

Maria equo lapsa Brugis moritur, & in B. Virginis æde sepelitur.

Quidam reclusus ad montem S. Amandi decollatur, ob maligna cum Gaesbekano exule inita consilia.

Georgius vander Moere. Gerulfus vander Haghen. 1482.
Inauguratur Comes Flandriæ Philippus Maxæmiliani filius. Moritur Ioannes van Bundere supremus Gandauensium Decanus non sine suspicione veneni, vtpote vir boni communis amans, osor munerum, & similium corruptionum, ideoque Magnatibus quibusdam infestus. Pax Atrebati inter Francos, & Belgas, pactis nuptijs inter Carolum Delphinum, & Margaretam Maxæmiliani, & Mariæ filiam. Arx Slusana tenetur à Gandauensibus.

Simon Borluyt. Iacobus de Grutere. 1483.
Oritur bellum inter Flandros, & Maxæmilianum. Ambasiæ moritur Ludouicus Francorum Rex. Columnæ hoc anno statutæ in foro piscario.

Daniel Onredene. Philippus vander Sickelen. 1484.
Dissidia inter Gandauenses, & Antuerpianos. Seditiosi quidam in Magistratum Gandauensem insurgunt, & Consulem trucidant.

1485. *Ioannes van Vaernewyck D. de Borst.* *Ioannes de Grutere.*
Pax coalescit inter Maxæmilianum, & Flandros. Capitur à Maxæmiliano Hasseltum in ditione Leodiensi.

1485. *Gerardus van Axpoele.* *Rolandus van VVedergraet Eques.*

1486 *Iudocus Gistellanus Eques.* *Ghyselbertus de Luu.*

1487. *Adrianus van Raueschot Eques.* *Philippus vander Sickelen.*
Gripho van Rechlen Prætor Tiletanus à Gandauensibus decollatus ad Mudam, & corpus rotæ insertum.

Eod. ann. *Adrianus Vilain Eq. D. de Rasseghē.* *Georgius vander Moere.*
A Brugensibus tenetur Maxæmilianus.

1488. *Simon Borluyt.* *Ioannes de Crane.*
Supremus Gandauensium Capitaneus constitutus Adrianus Vilain Eques Dominus de Rasseghem. Minatur Gandauensibus Maxæmilianus.

1489. *Apollonius van Massemen.* *Gerardus vander Hoyen.*
Occiditur ad Messebekam à Philippo Domino de Rauesteyn, Adrianus Vilain Eques Dñs de Rasseghem.
His temporibus pestiferâ lue mortua Gandaui plus quàm XL. millia hominum.

1490. *VVilhelmus vander Cameren.* *Gerulfus vander Haghen Eques.*
Conflictus Bethuniensis inter Carolum Francorum Regem, & Maxæmilianum Cæsarem, in quo captiui abducuntur in Galliam Imbertus Nassouiæ Comes, & Carolus Gelder Iunior. Prætor Aldenardensis Gandaui decollatur. Hulstum à Gandauensibus capitur 10. Iulij.

Spoliatur; Præfectoque Francisco Serſanders ceruix præciditur.

Daniel Serſanders. *Iudocus vanden Berghe.* 1491.

Caſtellum d'Oydonck vi expugnatur à Gandauenſibus. Expugnatur Dixmuda à Gandauenſibus, item Gerardimontum, capto Toparcho de Boulaere, & ingenti ære redempto.

Ioannes, & Franciſcus Coppenole quorundam maleficiorum rei; eâdem horâ nati, hoc anno præciſis ceruicibus etiam, eâdem horâ denati.

Adrianus van Raueſchot Eques. *Ludouicus van Maſſemen.* 1492.

Margareta Maxæmiliani filia è Gallia in Flandriam venit magno excepta apparatu.

Ioannes vanden Ketulle. *Ioannes de Grutere D. d'Exaerde.* 1493.

Pax inter Gallum, & Philippum Burgundiæ Ducem componitur. Carolus Francorum Rex potitur regno Neapolitano. Moritur Fredericus Cæſar, & Viennæ ſepelitur.

Ludouicus van Maſſemen. *Philippus de Grutere Eques.* 1494.

Rolandus van VVedergrade Eques. *Iudocus Trieſt.* 1495.

Adrianus van Raueſchot Eques. *Iudocus van Saemſlacht.* 1496.

Philippus Lyræ in Brabantia ducit Ioannam, & cum coniuge mox ſolemniter Gandauum venit.

Nicolaus vander Moere. *Iudocus Trieſt.* 1497.

Moritur Carolus Gallorum Rex. Succedit Ludouicus. Nundinæ Quadrageſimales Gandaui inſtitutæ, vel

restitutę potius; nam ad Arnulfum eas referunt ferè omnes. Subsidit pons S. Bauonis, non sine clade multorum.

1498. *Ludouicus van Massemen.* *Ioannes de Grutere Eques.*
Nascitur Bruxellæ Philippo Eleonora. Gandaui terræmotus.

1499. *Iudocus Triest.* *Iudocus Bette.*

1500. *Nicolaus vander Moere. Ioan. de Grutere Eques D. d'Exaerde.*
Nascitur Gandaui Carolus eius nominis Quintus, posteà Romanorum Imperator, Cæsarum gemma, & Principum decus, & in D. Ioannis Baptistæ Ecclesia, quæ nunc Cathedralis S. Bauonis, sacro Baptismate abluitur, maximâ Gandauensium solemnitate, & Aulæ pompâ.

1501. *Iudocus Bette.* *Antonius de Luu Eques.*
Proficiscitur Philippus cum coniuge sua in Hispaniam. Nascitur Bruxellæ Isabella Philippo, quæ posteà Christierno Danorum Regi nupta.

1502. *Philippus de Grutere Eques.* *Iudocus van Cauwenburgh.*
Nascitur in Hispania Ferdinandus Caroli frater. Reformatur Conuentus Fratrum Minorum Gandaui. Inchoantur Laudes quotidianæ pio, & laudabili instituto in laudem B. Mariæ Virginis in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, quæ nunc Diui Bauonis, musico concentu dotatione annuâ continuandę.

1503. *Iudocus Triest.* *Gerardus vander Hoyen.*
Obit Elisabeth Ferdinandi Aragonij vxor, Philippi socrus. Exequiæ eius solemni pompâ celebrantur ad

D.

D. Ioannis Baptiftæ Gandaui.

Moritur Margareta quondam vxor Caroli Burgundiæ Ducis, & Mechliniæ apud Francifcanos fepelitur.

Iudocus Bette. *Gerardus van Angereel.* 1504.

Ioannes vanden Ketulle. *Nicolaus Trieſt.* 1505.

Nafcitur Bruxellæ Maria Philippi Regis filia.

Iudocus Trieſt. *Antonius de Lua Eques.* 1506.

Iudocus Bette. *Iudocus van Saemſlachte.* 1507.

Margareta Caroli Cæfaris amita, & vidua Sabaudiæ Ducis Gandauum venit, & gubernacula Reip. Belgicæ fufcipit.

Philippus de Grutere Eques. *Gerardus vander Hoyen.* 1508.

Solemni pompâ Gandauum ingreditur Maxæmilianus Cæfar, & Carolus eius nepos Belgarum Princeps.

In Haftiludijs victor declaratus Balduinus Borluyt Nobilis Gandauenfis.

Antonius de Lua Eques. *Nicolaus Trieſt.* 1509.

Prudente Senatorum Regimine imminuta Vectigalia non fine magno populi commodo.

Pax inter Cæfarem, Gallum, Anglum, & Carolum Ducem. Nouo faftigio acuminato eleuata turris S. Martini in Ackerghem.

Ioannes vanden Ketulle. *VVilhelmus de VVale Eques.* 1510.

Haftiludium in foro Gandenfi glacie conftricto propofitis præmijs inftitutum à Domino de Fiennes.

Iudocus Bette. *Alexander van Vaernewijck Eques.* 1511.

1512. *Antonius de Luu Eques.* *Richardus Vutenhoue.*

1513. *Nicolaus Trieſt.* *Ioannes van Caudenhoue.*
Tornacum ſuperatur ab Anglis. Franciſcus fit Gallorum Rex, & Remis inungitur.
Ferdinandus pulſis Gallis potitur Neapoli.

1514. *VVilhelmus de VVale Eques.* *Rolandus de Baenſt.*
Conſtituitur à Carolo Comite Flandriæ Gubernator Dominus de Fiennes, & creantur Equites Nicolaus Vtenhoue Flandriæ Præſes, Nicolaus Trieſt, Philippus de Grutere, Carolus van Wedergraet, Ioannes van Saemſlacht, Ioannes van Caudenhoue, Iacobus vander Vichte, Stephanus van Lidekercke, Philippus vander Gracht.

1515. *Antonius de Luu Eques.* *Ioannes van Saemſlacht Eques.*
Perit incendio Templum monaſterij de Galilæa.

1516. *Richardus Vutenhoue Eques.* *Ioannes Serſanders.*
Moritur Dominus de Fiennes Flandriæ Gubernator.
Fundatur noua domus Senatorum.

1517. *Philippus de Grutere Eques.* *Rolandus de Baenſt.*
In Hiſpanias Carolus cum ſorore Eleonora nauigat. Acre gelu Scaldi ad Antuerpiam ſtricto, & iter in Zelandiam vſque pedibus præbente.

1518. *Ioannes van Saemſlacht Eques.* *Liuinus de Grutere.*
Moritur Maxæmilianus Imperator, Princeps optimus.

1519. *Rolandus de Baenſt.* *Henricus vander Cameren.*
Eligitur in Romanum Imperatorem Carolus, & ex Hiſpa-

Hispania Gandauum veniens cum fratre Ferdinando, maximo apparatu, populique adplausu excipitur.

VVilhelmus de VVale Eques. Philippus vanden Ketulle Eques. 1520.
Aquisgrani coronatur Carolus Imperator. Venit Gandauum Christiernus Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ Rex. Gliscit bellum in Francos, & à Flandris obsidetur Tornacum.

Nicolaus Triest Eques. Gerelinus Borluyt. 1521.
In foro Veneris exuruntur libri Martini Lutheri, id curante Nicolao de Egmonda, Doctore Theologo Louaniensi, & Carmelita.
Vespertinis officijs in Vigilia S. Iacobi in æde eiusdem Gandaui intersunt Cæsar, & Danus tanquam S. Iacobi Equites.

Antonius de Luu Eques. Philippus vanden Ketulle Eques. 1522.
Exuruntur duo Augustiniani Lutheranâ lue infecti Bruxellæ, eademque de caussa Antuerpiâ pelluntur.

Ioannes vanden Ketulle. Ghyselbertus de Grutere. 1523.
Expugnatur à Turco Rhodus, Magno Christianorum malo. Profugit ex Dania Christiernus Rex.

Ioannes van Saemslacht Eques. Ioannes Alaert. 1524.
Ad ternas vices deiaculatur Psittacum Gandaui Dominus de Fiennes.
Conflictus ad Papiam. Capitur in eo Franciscus Gallorum Rex.

Rolandus de Baenst. Henricus vander Cameren. 1525.
Pax inter Gallum, & Cæsarem.

Leuinus

Leuinus de Somere piſtor fermento Lutheri corruptus, & clero infeſtus, Gandaui exilio quinquagenario multatur.

1526. *Philippus de Grutere Eques.* *Liuinus Donaes.*
Ludouicus Vngariæ Rex à Solimanno cæditur.

1527. *Ghyſelbertus de Grutere.* *Dominicus van Prouijn.*
Cornelius Balduini Aurifaber lutheranizans Gandaui caſtigatur. A Borbonio Roma capitur, & miſerandum in modum à Germanis militibus diripitur, ipſo cęſo, & digna factis præmia capiente. Ferunt multi huius rei Cæſarem conſcium non fuiſſe.

Naſcitur Carolo Philippus in vrbe Valliſoletana.

1528. *Ioannes van Saemſlacht Eques.* *Ludouicus de VVale.*
Iacobus Keymeulen opifex Gandenſis per ſententiam cogitur nudo capite, flexiſque genibus, & candido lino indutus, & faculam manibus geſtans deprecari veniam ſui delicti à Magiſtratu; vruntur inſuper ei crines, & candenti ferro crux maxillæ imprimitur, & exul ad annos quinquaginta declaratur, quia in Euchariſtia Chriſtum abſentem, non honorandam B. Virginem, Miſſas pro Defunctis ſolis prodeſſe Sacerdotibus effutiuerat.

1529. *Adrianus Belle.* *Leuinus Borluyt.*
Ad eos qui lue ſudorificâ Gandaui moriuntur defertur Venerabilis Euchariſtia, ſonitu Campanę non præuio; quod antè non vnquam fuerat vſitatum.

Sub pœna capitis, & bonorum Lutheraniſmus à Magiſtratu Gandauenſi interdicitur.

Martinus de Coninck Prætor Aſſenedanus acriter caſtigatur

ſtigatur ob hæreſim Sacramentariam.

Rolandus de Baenſt. *Reynerus Salaert.* 1530.
Iudocus de Backere Eques Hieroſolymitanus exuritur in foro Veneris, quia hęreticus. Venit Gandauum Cæſar, & iſtic hæret per tres menſes cum Maria ſorore, Hungarica. Margareta Sabauda Mechliniæ moritur.

Philippus vander Ketulle. *VValterus van Eertvelde.* 1531.
Apparet Cometes. Obit Leuinus Pottelsbergius Eques, vir in Rep. Clarus, Dominus de Vinderhoute, Meerendre, &c.

Ioannes van Saemſlacht Eques. *Iacobus van Eeuchoute.* 1532.
Incendium ad D. Bauonis.

Nicolaus Trieſt Eques. *Antonius vander Vichte.* 1533.

Ghyſelbertus de Grutere. *Ægidius de Baenſt.* 1534.
Arnoldus de Iaghere, & Ioannes van Ghentbrugghe Anabaptiſtæ decollantur.

Adrianus Bette. *Ludouicus de VVale.* 1535.
Duce Domino de Bettencourt proficiſcuntur Peronam Gandauenſes. Graue bellum inter Cæſarem, & Gallum. Delphi in Hollandia incendio abſumpti.

Philippus vanden Ketulle. *Leuinus Donaes.* 1536.
Leuinus vandenWalle Chirurgus Anabaptiſta decollatur. Ad portam D. Leuini incendium.
Alexander Huberti Bibliopola viuus exuritur propter hæreſin, & ad finem vſque pertinax perſeuerat.

Ægidius de Baenſt. *Antonius vander Vichte.* 1537.

1538. *Ghyselbertus de Grutere.* *Ioannes Damman D. van Gembergh.*

1539. *Adrianus Beths D. de Scellebelle.* *Carolus Vutenhoue D. de Markem.*

Graui seditione concutitur Resp. Gandauensis. Eodem anno XXVIII. Septembris.

Iudocus de Iungij Eques D. de Pamele. *Carolus Vutenhoue D. de Markem.*

Cæsar Gandaui Seditiosos castigat aliquot; in quorum partes meliores non iuerunt.

1540. *Carolus de Grutere Eques D. d'Exaerde.* *Ioannes de Vos.*

Salubria Reip. Gandauensi statuta à Cæsare Carolo promulgantur. Noua arx conditur duodecimâ Maij Cæsare præsente.

1541. *Nicolaus Triest Eques D. d'Auweghem.* *Ludouicus Alaert.*

1542. *Carolus Vutenhouius Dominus de Markem.* *Iudocus Triest Eques.*

Grassatur per Brabantiam Martinus Rossemius.

1543. *Ægidius de Baenst.* *Adrianus Triest.*

Frequens hisce temporibus Gandaui Processionum Generalium vsus pro felice rerum Cæsareanarum statu. Pax inter Cæsarem, & Cliuiæ Ducem.

1544. *Ghyselbertus de Grutere Eques.* *Antonius de Baenst Eques.*

Gandaui puniuntur aliquot Anabaptismo infecti, inter eos Martinus Huereblocq exuritur viuus.

1545. *VVilhelmus van Hembieze.* *Ludouicus Bette.*

Ingens per Flandriam, & alia loca fames.

Nicolaus

Nicolaus Triest Eques D. d'Auweghem. *Ioannes de Vos.* 1546.

Moritur Franciscus Gallorum Rex. Maxima strages Mechliniæ è puluere tormentario fortè per fulmen incenso. Saxo, & Lantgrauius Hassiæ à Cæsare capiuntur.

Antonius de Baenst Eques. *Simon Beths.* 1547.

Fossa, quæ Gandauo per Sassum in mare fluit, inchoatur.

Carolus Vutenhoue Dominus de Markem. *Ioannes vander Eeuchoute.* 1548.

Domus Sagittariorum S. Sebastiani ædificari cœpta.

Ioannes de Vos Eques. *Iudocus van Grijspeere.* 1549.

Ingreditur Gaudauum Philippus, & magnâ ciuium lætitiâ, solemnique apparatu excipitur. Postridiè venit Cæsar cùm sororibus Eleonora Francica, & Maria Vngarica.

Nicolaus Triest Eques D. d'Auweghem. *Ioannes Rufelaert.* 1550.

Acerrima hæreticorum castigatio Gandaui sub his Consulibus.

Antonius de Baenst Eques. *Ioannes vanden Eeuchoute.* 1551.

Inuenti in Silua extra S. Leuini portam, qui istic falsis doctrinis attenderent; & pænè omnes in eadem Silua per Alostanum Prætorem capite multati.

Carolus de Gruutere Eques. *Adrianus Triest.* 1552.

Adolphus à Burgundia D. de Wacken cum classe multarum nauium in Hispaniam proficiscitur.

Ioannes de Vos Eques. *Iudocus Triest.* 1553.

Terrouana à Cæſare expugnatur, & funditus deletur.

1554. *Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.* *Simon Beths.*

Philippus Rex ducit Mariam Henrici VIII. Anglorum Regis filiam. Creatur Magnus Gandauenſium Prætor Adolphus à Burgundia. Acris in hęreticos per Senatum Gandauenſem, & Flandriæ curiam animaduerſio.

1555. *Iudocus van Grijſpeere.* *Daniel van Pollinchoue.*

Continui per totã æſtatem imbres frugibus nocent.

1556. *Carolus de Grutere Eques.* *Adrianus Trieſt.*

Cæſar lecticâ vectus Gandauum ingreditur, & in domo Adolphi à Burgundia Prætoris hoſpitium capit.

1557. *Ioannes de Vos Eques.* *Ioannes Damman D. d'Oomberghe.*

Magna annonæ caritas per haſce ditiones. Ad Fanum Quintini potitur inſigni victoriâ Philippus. Venti horribiles in Ianuario molas, & ædificia paſſim ſternunt.

1558. *Nicolaus Trieſt Eques Dominus d'Auweghem.* *Ioannes Salaert Eques.*

Conflictus ad Grauelingam, vbi victor Lamoraldus Comes Egmondanus fuſis, fugatiſque Gallis.

Moritur, ſi tamen mori poteſt, quem immortali memoriâ dignum omnia ſæcula celebrabunt, Carolus Roman. Imper. ſemper Auguſtus. Moritur & Eleonora ſoror Cęſaris, & Maria Philippi vxor, magno Anglorum malo. Pax inter Philippum, & Gallum promulgatur.

1559. *Adrianus Trieſt.* *Iacobus Beths.*

Henricus Secundus Gallorum Rex à Mongommerio læſus in haſtiludio, paucis pòſt diebus moritur.

Creantur

Creantur in Ecclesia collegiata S. Ioannis Bapt. quę nunc Cathedralis S. Bauonis, à Philippo Rege Equites Aurei velleris.

Margareta Parmensis Gubernatrix Belgij à Philippo Rege constituitur. In Hispaniam classe sumptuosâ vehitur Philippus Rex.

Carolus ab Ideghem Dominus de VViese. *Iudocus à Brakele.* 1560.

Inhibitum Gandaui iussu Regio, ne quis Missę, aut Vesperarum tempore in foris, aut templis obambulet. Vtinam id hisce temporibus obseruetur! Sed proh dolor! videmus, si vnquam aliàs, vel tunc maximè, cum diuinis insistendum esset, ad ea loca conuenire cateruatim mendaces, nugiuendulos, loquaculosque homines, qui cum sæpe nihil sciant, mira comminiscuntur, & quod in buccam venit effutire non verentur, in quos aptè Plautinum illud vibres: Omnes pendeant, gestores linguis, auditores auribus.

Hæretici meritas pœnas Gandaui luunt.

Ioannes Damman Dominus d'Oomberghe. *Ioannes de Grutere Eques D. de Loouelde.* 1561.

Forum hebdomadarium in Wacken ab Adolpho Burgundo impetratur.

Ioannes de Vos Eques. *Ioannes Beths.* 1562.

Gubernator Flandrię constitutus Comes Egmondanus antequam in Hispanias recederet Rex Philippus. Graue incendium Hulsti. Hispanias iterum petit Adolphus à Burgundia, ab Ordinibus Flandrię, & Gandensibus pręsertim missus.

Acria bella inter Regem Gallorum, & Hugonottas.

 Ferro,

Ferro, flammaque vlciscitur hæresin Senatus Gandauensis.

1563. *Nicolaus Triest Eques D. d' Auweghem.* *Iacobus Beths D. d' Angerellis.*

1564. *VVilhelmus van Ketulle D. d' Asche.* *Ioannes de Grutere Eques D. de Loouelde.*

Exequiæ ad D. Iacobi celebrantur pro Cesare Ferdinando. Sottegemium incendio perit. Scaldis ad Antuerpiam gelu concretus.

1565. *Ioannes Damman Dominus d'Oomberghe.* *Ioannes de Grutere Eques D. de Loouelde.*

Obsessa Melita à Turco. Supplicationes Gandaui habitæ pro Principum Christianorum concordia aduersus Turcum.

1566. *Ioannes Damman Dominus d'Oomberghe.* *Ioannes van Hembieze.*

Sacrilego cuidam Nebuloni Aldenardæ præciditur dextera manus, inde flammis ipse traditus. Is hostiam sacram è manu Sacerdotis rapuerat, vociferans se non ampliùs Idololatriam videre posse.

Sub pœna capitis, & bonorum inhibetur Gandaui, ne quis ad hæreticas conciones sese conferat. Quo non obstante magnus passim leuis popelli ad eas confluxus.

Insaniunt Gandaui, & passim per Flandriam Iconoclastæ. Motus Antuerpiæ ob Religionem graues. Incipiunt tribulationes Belgarum.

1567. *Ioannes Damman Dominus d'Oomberghe.* *Ioannes van Hembieze.*

Passim

Passim Iconoclastæ, & Sacrilegi Coruorum pabula fiunt. Egmondanus, & Hornanus Comites ab Albano Duce apprehenduntur.

Nicolaus Triest Eques D. d'Auweghem. Petrus Cortewyle. 1568.

Moritur Middelburgi in Zelandia Adolphus Burgundus Eques D. de Wacken, &c. Magnus Gandensium Prætor.

Nicolaus Triest Eques D. d'Auweghem. Petrus Cortewyle. 1569.

Ad Decimam bonorũ coguntur per Albanum Belgę.

VVilhelmus vanden Ketulle D. d'Asche. Ioannes de Grutere Eques D. de Loouelde. 1570.

Ioannes Damman Dom. d'Oomberghe. Leuinus van Secleers Dominus de Gotthem. 1571.

Laniones Bruxellenses carnem, Pistores panem, Coctores cereuisiam negant, quia ad Decimas per Albanum coacti.

VVilhelmus de Ketulle D. d'Asche. Iacobus Beths D. d'Angerelles. 1572.

Consules hoc anno, & Senatores ijdem. 1573.

Ioannes Damman Dom. d'Oomberghe. Ioannes de Grutere Eques D. de Loouelde. 1574.

Ioannes Damman D. d'Oomberghe. Petrus de Vos. 1575.

Iacobus Beths D. d'Angerelles. Petrus de Vos. 1576.

Arx noua à Gandauensibus obsidetur, ac mox in eorum potestatem venit.

Philip-

1577. *Philippus de Grutere D. d' Axpoele.* *Iudocus Donaes.*
Antiqua Priuilegia sibi Gandauenses restituunt.

1578. *Ioannes van Hembieze.* *Ægidius Borluyt Eques.*
Profligantur Catholici, Templa, & Monasteria Gandaui expilantur, multaque detestanda, & luctuosa contingunt.

1579. *Ioannes van Hembieze.* *Iacobus vander Haghen D. de Gotthem.*

Eod. ann. *Carolus Vutenhouius.* *Franciscus Prouijn.*

1580. *Iudocus Borluyt Eques D. de Boucle.* *Iudocus Triest D. de Louendeghem.*

1581. *Franciscus de Prouijn Dom. de Lanenburgh.* *Franciscus van Hembieze.*

1582. *Iacobus vander Haghen D. de Gotthem.* *Iudocus Triest Dominus de Louendeghem.*

1583. *Ioannes van Hembieze.* *Franciscus Triest.*
Præciditur caput Ioanni van Hembieze. Stipendia peccati mors.

1584. *Ioannes Beths.* *Gerardus de Blasere.*
Pulsis hæreticis, Laus Deo, regnant Catholici. Gandauum cogitur ad deditionem.

1585. Ijdem Coss. & Senatores.

1586. *Gerardus de Blasere.* *Philippus Triest D. d' Auweghem.*
Magna per Flandriam caritas annonæ.

Gerar-

Gerardus de Blasere.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1587.
Gerardus de Blasere.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1588.
Ioannes Beths.	*Iacobus Taccoen dictus Zillebeke.*	1589.
Gerardus de Blasere.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1590.
Gerardus de Blasere.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1591.
Gerardus de Blasere.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1592.

Obijt Atrebati Alexander Farnesius Parmæ, & Placentiæ Dux, de Rege Catholico, & Rep. Belgica optimè meritus.

Antonius Triest Dom. de Ruddershoue.	*Philippus Triest D. d'Auweghem.*	1593.

Ernestus Archidux Austriæ Bruxellam venit, Ditionum Inferioris Germaniæ Gubernator.

Philippus Triest D. d'Auweghem.	*Ghyselbertus Cortewyle.*	1594.
Philippus Triest D. d'Auweghem.	*Ghyselbertus Cortewyle.*	1595.

Albertus Archidux Austriæ Bruxellam Gubernacula harum Ditionum arrepturus appellit. Caletum expugnatur.

Antonius Triest D. de Ruddershoue.	*Franciscus Rijm D. d'Hundelghem.*	1596.

Deditione ad regias venit partes Hulstum, armis Alberti Archiducis, ac S. R. E. tum Cardinalis pressum.

Antonius Triest D. de Ruddershoue.	*Franciscus Rijm D. d'Hundelghem.*	1597.

Ambianum astu capitur.

1598. *Ioannes Beths.* *Philippus Trieſt D. d'Auweghem.*
Pax inter Regem Catholicum, & Gallum.
In æde Cathedrali S. Bauonis celebrantur exequiæ Philippi II. Hiſp. Regis Catholici.

1599. *Ioannes Beths.* *Philippus Trieſt D. d'Auweghem.*

1600. *Philippus Trieſt Eques D. d'Auweghem.* *Antonius Trieſt Eques D. de Ruddershoue.*

1601. Ijdem Conſules, & Senatores Principum iuſſu.

1602. Ijdem Conſules, & Senatores eorundem Principum iuſſu. Longâ obſidione premitur Oſtenda.

1603. *Antonius Trieſt Eques D. de Meerelbeke, &c.* *Robertus Hellin D. de VVaſſenhoue.*
Turris S. Bauonis fulmine percuſſâ ſuperiore parte vritur. Eliſabeth Anglorum Regina moritur, habetque ſucceſſorem Iacobum Scotorum Regem.

1604. Per vniuerſam Flandriam idem Magiſtratus.

1605. *Robertus Hellin D. de VVaſſenhoue.* *Ioannes de Vos.*

1606. *Antonius Trieſt Eques D. de Meerelbeke.* *Robertus Hellin D. de VVaſſenhoue.*
Venti horribiles paſſim, turres, tecta, molas deijciunt, arbores radicitus euellunt.

1607. *Robertus Hellin D. de VVaſſenhoue.* *Antonius Trieſt Dominus de Meerelbeke.*

1608. *Ioannes Baptiſta Rodoan D. de Bieſe.* *Ioannes van Haure D. vanden VValle.*
Antonius

Antonius Triest Eques D. de Meerelbeke. *Philippus de Seclijn D. de Herpelghem.* 1609.

Robertus Hellin D. de VVassenhoue. *Philippus Steelant D. de Hasselt.* 1610.

Ioannes Baptista Rodoan D. de Biese. *Ioannes de Vos.* 1611.

Antonius Triest D. de Meerlebeke. *Ioannes van Havre Dom. de VValle.* 1612.

Elisabeth Anglorum Regis filia nubit Frederico Palatino Quinto.

Robertus Hellin D. de VVassenhoue. *Ioannes de Vos.* 1613.

Synodus Diœcesana Gandaui habita ab Henrico Francisco vander Burch Gandanensium Antistite. Inchoatur Regium, & Augustum opus Noui Canalis ab vrbe Gandensi Brugas, & inde ad Ostendam, 16. Augusti à Brugensibus, & 3. Sept. per Gandenses.

Ioannes Baptista de Rodoan Eques D. de Biese. *Iacobus van Zillebeke.* 1614.

Philippus van Seclijn D. d'Herpelghem. *Carolus de Grutere D. de Vaernewijck.* 1615.

Nicolaus Triest D. d'Auweghem. *Iudocus Triest Eques D. de Ruddershoue.* 1616.

Solemniter in vrbem deuehuntur Reliquiæ S. Macarij ex Hannonia. Partem S. Crucis donat Ecclesiæ Sancti Michaëlis, & confratribus Sanctæ Crucis ibidem Serenissima Domina Isabella Clara Eugenia, Alberti Austriaci vxor.

Antonius Triest Eques D. de Louendeghem, &c. *Ioannes de Vos.* 1617.

1618. *Philippus van Steelant Eques D. d'Hasselt, &c.* *Guillelmus de Blasere D. d'Hellebus.*

1619. *Ioannes van Havre D. de VValle.* *Ludouicus de Blaser D. de IdeWalle.*

Ioannes Oldenbarneueltius, Arminianæ factionis Patronus, Dominus de Biese, Wolfshaghen, &c. in Hollandia decollatur.

1620. *Nicolaus Triest Eques D. d'AuWeghem.* *Ioannes Baptista de Rodoan Eques.*

Memorabilis Victoria Cæsareanorum ad Pragam, fuso, fugatoque Frederico Quinto Palatino.

1621. *Philippus de Seclijn D. d'Herpelghem.* *Ioannes de Vos D. de Herlebaut.*

Obit Paulus Quintus Pontifex Romanus. Succedit Gregorius XV. Moritur Regum Catholicorum optimus Philippus Tertius. Bruxellæ etiam terris excedit 15. Iulij Albertus Archidux Austriæ, pijssimus, & clementissimus Belgarum Princeps. Scholæ pauperibus masculis, & fœmellis erudiendis Gandaui eriguntur sancto, & salubri instituto.

1622. *Guilielmus de Blasere D. d'Hellebus.* *Ioannes de Seclijn D. de Heyne.*

1623. *Nicolaus Triest Eques D. d'AuWeghem.* *Ioannes de Vos D. de Herlebaut.*

Hoc anno Serenissima, & Potentissima Princeps Isabella Clara Eugenia Infans Hispaniarum, Alberti Pij vidua, Nono Kalendas Decembreis festo Diui Clementis, cùm pridiè singulari pietatis exemplo, è suis Nobiles

les aliquot virgines in Tereſanarum Monialium Cœnobium induxiſſet, rite, & ſolemni ceremoniâ auſpicata eſt noui Chori ſtructuram in æde Parochiali D. Michaëlis.

Icta fulmine turris Eccleſiæ Parochialis Diui Nicolai Gandenſis 19. Ianuarij 1624. ſupremâ ſui parte amburitur, ac mox pia Senatus, Populique Gandenſis liberalitate reſtauratur.

Iudocus Trieſt Eques D. de Ruddershoue.	*Philippus Lanchals Eques D. d'Olſene, Denterghem, &c.*	1624.
Guilielmus de Blaſere D. d'Hellebus.	*Philibertus Rijm D. de Bellem.*	1625.

Breda longa obſidione preſſa poteſtati regiæ cedit.

Nicolaus Trieſt Eques D. d'Auweghem.	*Philippus de Seclijn D. d'Herpelghem.*	1626.

CAPVT IV.

Ædes Prætoria, ſeu Curia vtraq; Senatorum.

ÆDES PRAETORIA, ſeu Domus Senatorum prioris ſubſellij; opere eleganti, conclauibus, atrio, ac frontiſpicio faberrimè elaborato, cœpta eſt extrui ad annum 1481. quartâ Iulij, auſpicijs Adriani Vilain Raſſeghemij, Equitis, & Willelmi Bette Conſulum. Aucta dehinc eſt anno 1516. Richardo Vtenhouio Equite, & Ioanne Serſanders Coſſ. Ad plateam vulgò de Hoochpoorte perfectum atrium tribunalis 1517. Philippo de Grutere, & Rolando de Baenſt Coſſ. poſt anno 1533. Nicolao Trieſt Equite, & Antonio vander Vichte Coſſ. Sacellum columnis æneis, ferreiſque trabibus,

ac vitro pereleganti instructum. Anno dein 1563. pauimentum atrij, in morem labyrinthi albo, cæruleoque lapide secto stratum, alio Nicolao Triest Equite Auweghemio, & Iacobo Bette Domino d'AngerellesCoss. Anno denique 1580. Iudoco Borluyt Equite Domino de Boucle, & Iudoco Triest Domino de Louendeghem Coss. splendido opere inchoatum latus dextrum, quod nouum opus vocitant, cùm decennio antè decimâ Aprilis, Sacellum eiusdem Curiæ dedicatum esset, per Cornelium Iansenium primum Gandauensis Ecclesiæ Antistitem, immortalis memoriæ virum. Senatorum verò inferioris subsellij, quod Partitionum vocant, Curia, quæ nunc augusto, splendidoque opere priori contigua visitur, cœpta primum ædificari circa annum secularem proximè elapsum, Philippo Triest Equite Auweghemio, viro optimè de Gandauensibus rebus merito, & Antonio Triest Domino de Ruddershouen Coss. Denique eadem perfecta moles, cum insigni Patriæ ornamento, ac Senatorum commodo ad annum 1620. Nicolao Triest, Philippi filio, Auweghemio, & Ioanne Baptista de Rodoan Domino de Biese, & Wolfshaghen Equitibus Coss. Varia, magnaque sunt in eo conclauia, quæ præclaris Bibliothecæ publicæ vsibus, alijsque Senatus placitis destinantur. nonnullum autem fuerit hîc operæ pretium recensere, quod non in vanum alicui animaduertisse se narrat Marcus Varnewicus: Sunt, inquit, in conclaui Senatorum prioris ordinis candelabra è metallo facta, sub vnoquoque eorum humana facies, ac os serâ clausum: nimirum vt Senatores, ac Syndici, alijque, in quorum præsentia publica res tractatur, arcani semper, ac silentij meminerint. Lucet metallum: ita & illi virtutibus,

tibus; & honesto fulgeant. Sonus æris gratus, acceptusque est: talis quoque eorum fama sit. Durat metallum, sibique constat, nec in hanc facilè, vel illam flectitur partem: ita & illi, nec odio, nec amicitiâ, alijsque prauis passionibus huc, vel illuc inclinent, omnibus æqui sint, iustitiam diligant. Non patitur rubiginem metallum: ita nec illi munerum corruptelis sint obnoxij.

CAPVT V.

Belfortum, Halla, Macellum maius, ac minus.

PRæclarum in primis opidi Gandauensis ornamentum est, ac Reipublicæ commoda ob pulsum, & indices horarum, turris illa, quæ in vrbis meditullio sita, Belfortum, seu Bella fortis, vocitatur. Eam annis iam ferè trecentis strui cœptam, anno videlicet 1313. in Maio Ghyselberto Reynvisch, & Balduino Borluyt Coss. ac 1380. sequente impositum ei fastigium asserit Gramaius; antiquiorem tamen hanc esse molem, & anno Christi 1171. à Sigero Vilain Castellano Gandauensi conditam, quorundam scripta tradunt. Nomen Belforti priscis Francorum legibus non incognitum asserit idem Gramaius, turres eas esse, è quibus ære campano classicum denuntiari, ac plebs ad signa, vel comitia vocari consueuit. Vnde Imperatores insolescentem Cameraci, & Episcopo rebellem plebeculam repressuri, inter prima sustulerunt Belfortum litteris anni M. CC. ne vllum videlicet deinceps populi conciliabulum coalesceret. Gandaui eadem propter anno 1317. Wilhelmo de Breere, & Sigero de Groote Coss. (quod alij tamen 1314. factum putant) suspensa vndecies mille pondo

do grauis campana, cui Rolandus nomen eſt, ſcriptumque in ambitu; Roelandt, Roelandt, als ick kleppe, dan iſt brandt: als ick luye, dan iſt ſtorm in Vlaenderlandt. hæc aliàs horarum nuntia (cui ſoli rei nunc inſeruit) ſi tum inſonaret, plebs armata cum vexillis forum petebat, Decanoſque ſuos, velut belli duces, audiebat. Eſt in eadem turri ſuſpenſa ad annum 1441. Gerardo van Ghiſtele, & Ioanne Alaert Coſſ. alia campana 6972. pondo grauis, tum aliorum Opificum, tum Textorum præſertim operis definiendis. Ad eius pulſum etiam portæ vrbis nunc patent, & clauduntur. In faſtigio turris eminet auratus Draco, qui proſpero rerum ſucceſſu, cùm publica lætitiæ ſigna ciuitas edit, vomit ignem. Hic captâ à Balduino Conſtantinopoli Brugas delatus, illinc pro ſpolio Gandauum venit; circa annum verò 1445. Ioanne vander Zype, & Philippo Serſanders Coſſ. primùm in vertice turris poſitus, dein poſt annos ferè centum depoſitus, iterum ad annum 1542. auratâ pelle coruſcus, in eodem loco, Carolo Vtenhonio, & Iudoco Trieſt Equite Coſſ. rutilauit.

Halla domus publica eſt Belforto attigua. eam Gramaius Fallas vocat, ac in omnibus Veterum ſcriptis tam Louanij, quàm Gandaui, Ypris, & alibi Falas appellari aſſerit, cenſetque probabili coniectura deriuari eas, à Faillen, ſiue, vt modo lenita prima loquimur, Vailen, id eſt, venum exponere. Sunt enim, inquit, loca ſpatioſa, & velut Prætoria Arachnes, vbi officinatim pannos ſuos, venditioni deſtinatos, reponunt. Vſibus itaque Textorum olim præcipuè ſeruierunt, atque ex eiuſdem ſententia anno 1228. erecta ſunt. Alibi tamen ego domum hanc ædificatam lego anno 1425. Ioanne Serſimoens, & Victore vander Zickele Coſſ. hanc videli-

videlicet, quam adhuc modò conſpicimus, deſtructa vetere illa, quæ ad annum 1228. cœperat, nunc mercibus quibuſdam condendis ſeruit; in ea etiam publica bilanx, ac rerum ponderatio, exulantibus iam pęnè omnibus cum magno Reip. detrimento, non ab hac domo ſolùm, verum ab vrbe tota Textoribus, qui cùm olim potiores in plebe partes facerent, & circa Blandinium incolerent, ſub Guidone Dampetra in certas tribus diuiſi ſunt, pro regionum vrbis, quas numero viginti ſeptem occupabant. Aucta dein opibus, & commercijs vrbe: tertium cœperunt facere membrum ciuitatis; ſuumque, inquit Gramaius, habere Præfectum, quem Decanum textrinulæ, ſæpè Meyerus vocat. Feruntur extitiſſe quadraginta ſubinde textrinarum millia, ad ſtructuram item ædis Marianæ, illuſtrem illam, ac ſumptuoſam, ſingulæ groſſorum libellum duntaxat tuliſſe, ſufficienſque nummorum ad tantam molem congeſſiſſe; feruntur etiam frequente tumultu ſub Maleano Principe, feruentibus nihilo ſecius operis, armati excurriſſe textores, fullones, & id genus lanariam exercentes, ad millia virorum octodecim.

Macellum maius, ampla, & ſi vſquam alia per omnes Europæ regiones, magnifica Lanionum domus, ad ripam Scaldis & Legiæ, mixtis aquis iſthac præterlabentium fluminum, ædificata eſt ad annum 1408. Stephano Lidekerckio & Ioanne van Varnewijck Coſſ. Sacellum habet D. Antonio Eremitæ ſacrum. In eo quotidianum offertur Sacrificium, quo conueniunt Laniones. Poſita etiam in fronte eiuſdem Macelli elegans imago B. Virginis, quæ puſionem IESVM ſcripturientem geſtat. Foris illi adhærent ſexdecim domunculæ, quæ anno 1542. ædificatæ ſunt. Adiacet eidem forum piſcatorium com-

S modum,

modum, ac spatiosum, ad cuius quaternos angulos ann. 1483. Simone Borluyt & Iacobo de Grutere Coss. structis columnis impositi Leones insignia Austriæ, Burgundiæ, Flandriæ, & Gandauensia habent. Macellum minus olim ad portam Brabanticam Scaldi superpositum, ac molis aquaticis contiguum, nunc non procul ab Hippodromo, eorum præsertim ciuium vsibus seruit, qui longiùs à maiore dissiti, in monte Blandinio, illique conterminis locis agunt.

CAPVT VI.

Enumeratio quarundam nobilium Familiarum Gandensium.

NOn aliter quàm cælum sidera, & terram flores, ita Prouincias ac vrbes Nobilitas ornat; quę vti prima à virtute, & honestis actionibus, ita altera à partis bello facinoribus, ac militari functione enascitur; ac quamuis magna eximiæ cuiusdam eruditionis sit dignitas, summúsque ab eminente litterarum scientia, ac togæ munijs splendor; Martia tamē illa fortitudo præcipua nūc, maximoque in pretio habetur. Honoratiores itaque aliquas, nobiles item, ac etiam illustres siue nunc, siue olim Familias, pro coronide huius libri dabo, liberaque voce profitebor, vix vllam in Belgio vrbem esse, quæ inquilinam nobilitatem auitis opibus, antiquitate, alijsque stirpium prærogatiuis spectabilem magis iactare possit. Tu verò quisquis hic & tuum nomen, Maiorésque tuos, viros fortes, ac præstantes agnoscis, ab ijsdem tibi dictum puta:

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.
Tu facito mox, cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla Tuorum,
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Tau-

Eandem, quâ illi præiuerunt, semitam tene, non nescius augeri pulchris, minui verò, ac deperire etiã factis turpibus omnem parentum gloriã. Illos igitur hic, ac ne de ordine disputetur, & pro honore dedecus sibi quispiam illatum putet, non ex merito vel dignitate, hos, vel illos priùs, aut posteriùs; verùm secundum solam Alphabeti seriem, aliquibus, qui nuper ciues facti, & hic Magistratu functi sunt, adiectis, nominatos arbitrare.

Alaert, Angerelis, vander Ameede, Anchemant, Aueldonck, Axele, Axpoele,

De Baenst, Bette, de Backere, Bauieres, Baesdorp, Biscop, de Beer, vander Beke, Beaufremes, vã Bruan, Bost, Borluyt, Bornage, Braem, Buridan, Boele, Brakele, Brune, vanden Berghe, vanden Bosche, Beuere, Blomme,

Cauwerburch, Casele, Castillo, vander Camere, Cabillau, de Clerck, Colbrant, de Crane, Coorenhuyse, Coudenhoue, Coyghem, Cortewijle, Clocman, Claissone, Crombrugghe, Cleuterinx,

Damman, Damast, Deckere, Dierix Dixmude, Dierkins, Donaes, Dullaert,

Eueldonck, vanden Eeuchoute, Eetuelde, Euerwijn, Espinoy, Foreeste,

Gauere, Ghendt, Gistelles, Goetghebuer, Goethals, Grammen, de Groote, Gryspeere, Grutere,

Haesbyt, Harduyn, vander Haghen, Hertoghe, van Hoyen, van Houen, Hoedeuelde, van Hole, van Huysse, Herzele, van Huele, Heymã, Hueriblock, Heylinck, van Heurne, van Haure, vander Heede, Hellijn, vander Hoyen,

Ideghem, Imbieze, de Iaghere, Ioigny, Iooris, de Iuede, Iours,

Vanden Kerchoue, Ketulle, van Landeghem, Lau-

 rijn,

rijn, Lanchals, van Lede, Lidekerke, vander Linden, de Luu, van Lake, van Leyns, Lautens, Loetz,

Van Masch, Mulaert, de Moere, vā Munte, vā Mersch, van Maercke, Montoie, Mazin, vander Meere, Meganck, Masculier, Martins, Masseme, vander Meulene, Mastaing, Morslede, La Mote,

Nieuwenhuyse, Norman, Nieuwenhoue, Nieulant,

Onredene, Oosterlinck, Oudegheerst,

De Pape, Pascharis, vanden Pitte, Preuost dict Basserode, Pottelberghe, Potellis, Prouijn, Pollinchoue, Parmentier, Queuijn,

Rauescbot, Rijm, van Royen, Rodoan, Reynvisch, Roose, Riddere, Rybeke, Roeselaere, Ruffelaert,

Sersanders, Sersimoens, Sermachelin, Serthomaes, Slooue, Schoutete, Smuls, Stoppelare, Saemslach, vander Schagen, Sickele, Schoorisse, Storme, Steelant, Sanders, Saman, vander Sare, Seclyn, Stercke, Sicleers, Salaert, Stalins, Steensele, Schoorman, Snouckaert,

Triest, Villain, vander Vichte, Vutenhoue, Vos, Vutendaele, Vutervolderstraete, Vaernewijck, Vloet, van Vuerne, vander Voorde, Vijts, Vuldere, Vuerhoute, Wijts, Vrient, Viron, Wielant, Wenemaere, de Waele, Westvoorde, Waesberghe, Willebaert, Wedergraet, Winter, Wychuys, Winckelman, Wouters, vander Woestyne,

Zillebeke dict Taccoen, Zeuecote, Zoete, vander Zijpe, van Zuylen.

Harum, & his similium Familiarum insignia, Nobilis ac eruditus vir Philippus de l'Espinoy, Burgrauius Terouannę, partim proprio labore, partim industria, studioque Domini Christophori van Huerne, viri optimè de patrijs antiquitatibus meriti, concinnata, æriqueinsculpta, mox publico pollicetur.

ANTONII SANDERI

PRESBYTERI
S. THEOL. LICENTIATI
ET
IPRENSIS ECCLESIÆ CANONICI

GANDAVENSIVM RERVM

PARS ALTERA
IN QVATVOR LIBROS DISTRIBVTA,
AD
Senatum Populumque Gandauenſem.



BRVXELLIS,
Apud IOANNEM PEPERMANVM, Bibliopolam iuratum
Typographumq; ciuitatis, ſub Biblijs aureis, 1628.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO A BVRGVNDIA

EQVITI ORDINIS S. IACOBI

REGI CATHOLICO

A CONSILIIS BELLI,

COMITI DE VVACQVEN,

MAGNO GANDAVENSIVM PRÆTORI

ET

EQVITVM HASTATORVM

PRÆFECTO.

AMPLISSIMIS ET NOBILISSIMIS

VIRIS

COSS. ET SENATORIBVS VRBIS

GANDAVENSIS,

IOANNI BAPTISTÆ DE RODOAN, Equiti, Domino van Biese, Wolfs-haghe, Bottel, &c.

NICOLAO TRIEST, Equiti, Domino van Auweghem,

IOANNI WOVTERS, Equiti, Domino van Vinder-haute, Meerendre, Belzele, &c.

PHILIPPO DE L'ESPINOY, Burgrauio Teroanensi, Domino van Capelle, &c.

IOANNI DE STOPPELAER.

GISLENO NIEVLANDT, Domino van Lerberghe.

ADRIANO BORLVVT.

CLAVDIO DAMAS, Domino van Montjoye.

ÆGIDIO DEEGBROOT.

LAVRENTIO VOLCKAERT, Domino van Weldene.

ADRIANO VANDEN BROVCKE.

THOMÆ DE CONYNCK.

FRANCISCO BAERS, FRANCISCI Filio.

ANTONIVS SANDERVS D D.

NON multum curabo, quid de hoc rerum Gandauensium fasciculo, qui sub vestræ tutela dignitatis in lucem prodit, vel maleuoli, vel imperiti dicent, si vobis tantum, qui in Patria mea præsidetis, labores hosce meos potuero commendare. Cum enim diuina etiam præstantissimorum hominum monumenta, in quacunque demum scribantur disciplina, quotidiè caninis morsibus arrodi, & barbaro lancinari furore videamus: cur hodierna me turbet impudentia, si me quoque non heroibus illis comparandum, petulantis linguæ spiculo feriat, & conatus meos dentibus suis liuor configat? Non alijs ferè bonarum artium studiosos præmijs & honoribus hęc ætas

tas

mas adficit; quam in hoc etiam præcipuè admireris malo: quod quo quisque ineptia maior, ita supercilio strictior, alieni operis iudicia exerceat, nullique magis sint canes, quam quos ignauia per omnem vitam socordes, & sub omni pressos indecoro tenet. Quos si merito possumus execrari, rideamus & alios istos: qui si tres fortè pagellas conceptu adulatorio heri impleuerint, hodiè se litterarios prodijsse monarchas, & Varrones toto eruditorum cœtu altiores existimant, homines reuera, prę ter vmbram, & figmentum, nihil. Sed nec illorum malignitas, *sinistra quos in lucem natura extulit:* nec horum stultitia terret, quo minus per densa licet temporum inuolucra (de agendis enim magis, quam de scribendis rebus, maiores nostri solliciti fuere) hanc rerum nostrarum farraginem non modico à me labore collectam, publico darem. Voluissem equidem maioribus sese potuisset argumentis aperire meus in Patriam amor. Sed cum, vel inuidia eorum, qui vt optimi videantur, soli moderari gestiunt sacra & profana: vel alio quopiam fato (in quo diuinæ prouidentię nutum agnosco) ab omni adhuc actione remotus sim: hoc solũ mihi relinquitur, vt quãto natalem terram adfectu veneror, stilo, pro ingenij mei mensura, testimonium præbeam. Ingens pro patria pugnantium gloria est, pro ea occumbentium summa, ope & consilio eam iuuantium, etiam non mediocris. Habet tamen & laudem suam his omnibus parem, qui de posteritate sollicitus, eorum quæ nunc, & olim, in patria præsertim, contigere, memoriam scripto seruauit. Et quisnam profectò non commendet amplius, salubre hoc agentes in otio negotium? quam si mutato proposito imitentur eos, quorum iam quotidiana ob oculos exempla errãt, qui nescio quibus non artibus ad-

munia publica admoti, ſub prætextu Principis, ſua agũt, ſub Religionis vmbra, adfectus fouent, libidinem explent. Quales eheu, vtinam multos hodierna dies non adſpiciat! quos ſub Principe macro pingues, ſub populo tenui & exhauſto craſſos, & opulentos bonorum hominum candor ingemiſcit, & tacita ſaltem deuotione, (cum aliter fortè zelus & innocentia, viribus & aſtutia hypocritarum opprimi poſſit) execratur. Qui inopes nuper, & rerum ferè omnium egeni: nunc ſplendore & pompa, quam faſtus inſignis, & inſolentia comitatur, conſpicui, agros agris, cenſum cenſui, titulos titulis coniungunt. Interim ficto Monachorum, & Monialium amore (quorum diſciplinam ab animis ſuis tam longè poſitam habent, quam cælum à terra diſtat) aliqua etiam in ædes ſacras largitione, & templorum ornatu, quem fortè manubijs pauperum detraxere, vt in maiorem Chriſtianæ pietatis gradum aſcendere videantur, nequitias ſuas tegunt. Ab illis ſi quiſpiam, egregius alioquin virtutis & eruditionis cultor, & magnis animi, corporiſque dotibus clarus, petat aliquid: cum venales habeãt gratias (ſed tectim, & cautè) præter ignominiam & repulſam, nihil feret. Sed ad vos redeo, quos ab hac corruptione alienos, ſinceris adfectibus, & obſequijs in Principem & Remp. ferri, multa & eximia quotidiè argumenta demonſtrant. Ita verò pergite, optimi Senatores, & à nullo vos, cum in Belgica eminentes, & in Comitijs Flandriæ primi ſitis, primum de diuina gloria, & Religione ſolliciti, regij nominis & auctoritatis obſeruãtia, regię cauſſę opitulatione, & Iuſtitię patrocinio ſuperari feratis. Veſtris etiam in Principem compulſi ſtudijs videant omnes, & fateantur: optimos & candidiſſimos, quos in vniuerſa regnorum ſuorum periodo ſubditos

Rex

Rex Catholicus habet, Belgas esse: omnem illos mereri fidem, & illam quoque, ad quam tantopere anhelamus, gratiam: vt sopitis tandem exitialibus bellis, pax (vel inuita quorundam malitia, & infami eorum stupore, qui in continuo motu, & paupertate prouinciarum: imperij firmitatem sitam arbitrantur, cum tamen:

Quemcumque populum tristis euentus premit,
Periclitetur magnitudo Principum.) — *Phædrus.*

oriatur; pax, inquam, oriatur illa, quæ vt mœrorem publicum sola dispellet, & omnibus Belgarum angulis iucundum, amœnumque præbebit adspectum: ita nostræ cumprimis ciuitati salutem, diuitias, & auream sæculi vbertatem dabit. Tum enim & vestra, & eorum, qui vos sequentur, industria fiet; quod solum hactenus defuit, vt non par modo, sed maius etiam, & potentius maximis Europæ ciuitatibus Gandauum foret: fiet inquam, vt non modò cum ingente ciuium commodo; sed cum maiore nobilitatis potentia & augmento, penes quam Reip. gubernatio, optimis Principum legibus, & glorioso præsertim Cæsaris Caroli decreto sancita, permanebit: ciuitatem vestram mercatu floridam, & felicem videatis. Hoc situs vrbis per orbem Christianum amplissimæ, hoc portus in vicino mari, hoc flumina nusquam plura, & non aliter per vrbem totā, quam nerui, venæ, & arteriæ per humani corporis fabricam dispersa, hoc aër, quo non per Belgicam vniuersam purior, hoc ædificia numerosa, & splendida, hoc campi, & plena circumquaque iacentium agrorum luxuries, hoc syluæ, hoc pascua, hoc montes Thessaliæ delitijs amœniores, hoc denique ciuium indoles & solertia, hoc cætera à Dei manu, & naturæ beneficio maxima vrbis ornamenta spondent, & exigunt.

AD

AD CL. V.
ANT. SANDERVM
CANONICVM IPRENSEM
CVM
RES GANDAVENSES EDERET.

SANDERE magnis clare scriptionibus,
Carum Camœnis, atque Gratijs caput,
Nouus quis apparatus iste, quis labor?
Nulla calami quies, nec vlla mentu est?
Patriæ dedisti nuper INDIGETES Deos,
Hos infulis, illos cruore nobiles;
Sed ipse tam pio labore nobilis.
Ergò à cruore ad PVRPVRAM: scribis viros,
Et inclytam virtute scribis PVRPVRAM;
Dignumque celso scribis Alfonsum polo,
Lumen tepentis Hesperi. Mox additi
Armisque clari, Litterisque ANTONII:
Tot nesciam nominibus vnius tuum
Illustrius sit, an tuo tot nomina.
Nunc Ciuium REBVS tuorum, maximis
Domi forisq́, cùm stili pendis decus:
Pendis nouum DIVIS, nouumque PVRPVRÆ,
Nouumque ANTONIIS decus, nouum tibi,
SANDERE magnis clare scriptionibus,
Carum Camœnis atque Gratijs caput.

E. *PVTEANVS BAMELRODIVS*
Historiographus Regius.

ANTO-

ANTONII SANDERI PRESBYTERI GANDAVENSIVM RERVM LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Arx Ottonia.



TTO inter Germanicos Cæsares eius nominis *Primus*, & ob illustria facta cognomento *Magnus*, Henrici Aucupis filius, fuit & anno Christi (vti testatur in Chronico Ioannes Carrion 938. acceptâ Aquisgrani ab Episcopo Moguntinensi imperiali coronâ, annis 36. imperauit; egregius planè, ac gloriosus Princeps. Is *Ottoniam* arcem Gandaui in fundo S. Bauonis ad annũ Christi 949. ædificauit. Arx noua tum temporis appellata fuit, ad illius discrimen, quæ multis ante sæculis à Iulio Cæsare, vel condita, vel restaurata, ac pręsidijs munita dicebatur: & alterius etiam illius, quæ ante Ottonis imperium à Balduino Ferreo constructa non procul ab arce Iuliana putatur. Condendæ arcis variæ ac multiplices causæ Cęsarem impulerunt. Marchantium Dunensem secutus, *Imperialis terræ metatori Scaldi ad dextram incubuisse* ait, arcem ab

Ottone in Flandros excitatam anno 948. in Alosti descriptione; Meyerus verò ex Bertinensi Chronico in annum sequentem idem reijcit. *Contra Gandenses*, inquit, qui tum inter Scaldim, & Legiam incolebant, *arcem validam eduxit in ripa Legiæ, ex qua Cæsariana præsidia cum Gandensibus implacabili odio digladiabantur, ad Balduini vsque Insulani principatum.* Codex siue Chronicon Cœnobij Gandensis, teste Gramaio cap. XII. Antiquitatum Gandensium, sed annum notans 936, *Otto*, inquit, *Henrici filius, Castellum nouum, quod ad ripas Legiæ situm est, non Reges Franciæ, non Comites Flandriæ, sed Imperatores Romanorum, in fisco & libera possessione S. Bauonis, ad defensionem ipsius Monasterij & antiqui Castri Gandæ, propter diuisionem regni Francorum & imperij orientalium, fines determinauit; de quo censum quinque solidorum* (eam videlicet arcem post adepti) *longo tempore Comites Flandriæ soluerunt, & soluunt.* Habes caussas structuræ, situm, & tempus; nisi quod Meyeri calculus, eodem asserente Gramaio, vero sit propior: cum passim scriptores vitę Ottonis, isto anno Belgas per eum Imperio adiunctos, seu tenacius adstrictos fateantur, qui etiam anni eius sęculi 48. in Danos occupabatur, & XXXV. necdũ inauguratus erat. *Huic autem Castello* (verba sunt Chronici S. Bauonis) *non Castellani, sed Comites* (à Cæsare videlicet primum constituti) *præfuerunt. Quibus quatuor villæ cum appenditijs suis, Aßnede, Bocholt, Axla, Hulsta, cum tota VVasia subiectæ fuerunt. Horum Comitum vnus nomine VVychmannus, qui in vxorem habens Lutgardim filiam Arnulphi Marchionis, Ottoni diu rebellis, Castrum eius nouum in Herehem vi ceperat, & tenuerat, à Misacha (alijs Musach) Slauorũ Regulo, Ottonis amico, 967. perimitur.* Sed hac in re errare cũ Meyero Chronographũ mox patebit. Fuit autem Wychmannus ille (vti lib. 3. cap. 3.

Iis temporibus Flandriæ Comites Francorum Regno obnoxij, iunctis viribus terras Imperij infestabant.

Rerum

Rerum Teneramondensium asserit Dauid Lindanus) ex illustri Bilingiorum stirpe, à priscis Saxoniæ Regibus oriundus, primus Arcis Ottoniæ Gandensis Comes, vnde sibi suisque *Gandauium* cognomen peperit, quod in hanc vsque diem in nobilissima Isenghemiorum Comitum stirpe perseuerat. Fratrem habuit minorem natu *Herimannum* Biling, qui, dono Ottonis eiusdem Imperatoris, primus inferioris Saxoniæ Dux factus est: quocirca Wychmannus offensus, quod fratrem minorem sibi prælatum ęgrè ferret, in Cæsarem alieno fuit animo, postea tamen illi conciliatus, huius arcis, quam dixi, præfecturam accepit, & cum ea Comitis titulum. Virum potentis familiæ fuisse, vel inde liquet, quod & fratrem habuit Ducem, & ipse vxorem duxit Lutgardim, Arnulphi Magni Flandriæ Comitis filiam, (cuius vetustissima, ait idem Lindanus, apud me effigies) & insuper, quod *Machtildis*, eius ex *Herimanno* fratre neptis, *Balduino* Flandriæ, indè Godefrido Arduennæ Comiti nupta, vtrique prouinciæ Comites, sed Lotharingiæ Duces peperit, habuitque à marito in dotem Castrum *Henham*, prope Aldenardam nobile ijs temporibus dominium, quod antiquis *Brachbantum*, vnde supra Brabantiæ nomen deductum, & ibidem sedem fuisse Regni Lotharingici probauimus. Illi Wychmanno inurit turpem maculam Chronographus S. Bauonis, sed immerito, vbi ait: *Villam dictam Thesle, quæ nunc Desselberghe dicitur, cum Ecclesia, syluâ & omnibus appendentijs, Monasterio S. Bauonis vi abstulit, & Monasterio S. Petri, pro remedio animæ coniugis suæ tradidit, & donauit.* In cuius facti vindictã, velut irato numine, à Misacha cæsum insimulat. Non enim consentaneum est aut vero simile, sub pio Principe Arnulpho, Magno Flandrię Comite (qui

Wychmanni donatiouem confirmauit) Bauonensium amico (huius enim patrocinio anno 949. D. Bauonis Ecclesia per Transmarum Episcopum libertate donata est, & à Lothario priuilegijs ornata, & ipse ab eodem Chronographo eius Cœnobij restaurator dicitur) tantam possessionem vni monasterio vi ademptam, alteri in eleemosynam collatam esse. Potuere tamē Bauonenses aliquid in Thessā habuisse iuris vel donatione Regū Franciæ, vel Comitū Flandriæ, & in clientela Cæsarum possedisse; quod longa annorum absentia amissum (cum ingenti illo incendio, quo anno 813. vniuersis Abbatiæ ædificijs fortuitò consumptis, huc illuc sparsi sunt, tum furore Normannico, quo ad annum 938. exularunt) ab Ottone in Comitem noui Castri sit translatum. Quod verò de morte eius Chronographus ille scribit, & ex eo Meyerus, refellit etiam in gestis Saxonicis Witichindus: *VVychmannus*, inquit, *qui se primum alienauit à Rege (Ottone) audiens tantum facinus seditiosorum, conuersus pacem fecit cum Rege, quia prudentißimus erat: & vtilis ac fidelis in finem permansit.* Apud eundem hoc extat viri elogium: *VVychmannus vir potens & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tantæ scientiæ, vt à subiectis supra hominem plura nosse prædicaretur.* Liberos reliquit ex Lutgarde Flādrensi, Theodoricum de Gandauo & Wychmannum, qui ad patris distinctionem dictus iunior. Vtriusque Witichindus meminit, vbi, *procurante*, inquit, *Saxoniam Herimanno Duce, Theodoricus iuniorque VVychmannus, nepotes eius, Saxoniæ exercitui præfuere.* Illorum hic in Saxonia degens, cum ad Gallos defecisset, in acie cęsus est: itaque in hunc quadrat, quod ex nominis similitudine, patri eius Wychmanno Chronographus ille, & Meyerus, ad annum 977. à Misacha cæsum imputant.

tant. Ita Lindanus. Sed vt ex Gramaij opinione concedamus, arcem hanc Cæsari ereptam fuisse, eadem tamen postea in fidem Cæsarum, eodem asserente, venit. Vnde Henricus Augustus anno 1007. Flandrorum defectionem vlturus, Gandenses obsedit, & iterum anno 1020. agrum Gandensem populatus est. De eo sic Carrion lib. 3. Chronicorum: anno Christi 1003. delectus Cæsar est Henricus huius nominis secundus, Bauariæ Dux. Antea diximus, ab Ottone primo Henrico fratri suo Bauaricum Ducatum donatũ esse. Illius autem Henrici nepotem ex filio hunc Henricum Cæsarem fuisse arbitror. Nam Ottonis primi frater Henricus annos quindecim ante Ottonis obitum in fata concesserat. Ea autem negligentia apud nostros historicos fuit, vt ex illorum monumentis pro certo affirmare non queã, an Henrici illius filius, aut ex filio nepos eius fuerit. Primus hic est Electorum Principum suffragijs designatus Cæsar, & imperauit annis 22. prudentia, & insignibus victorijs clarus; multa & ingentia bella mirabili felicitate gessit: principio Bohemos & Wandalos bello fatigatos tributarios, & subditos sibi fecit, Metas & Gandauum obsedit, Lotharingiã quoque, ac Flandriam vicit. Hactenus Carrion. Verum *imperialis* illius *Castelli* (sic enim Meyero vocatur) iugum molestè ferens Balduinus Comes, quem Insulanum nuncupant, in Cæsarem pugnanti Godefrido Lotharingorum Duci se adiunxit, & ea lætus occasione arcem Gandensem obsedit, ac virtute Lamberti militis, qui fuit Satelles & Præfectus militiæ Comitis, sibi asseruit, & nolente volente Cæsare asseruauit. Balduinus autem licet Castellũ (certis tamen, vt arbitror, cum Castellano conuentionibus) non tamen Castelli peculium, quatuor

Ad ann. 1020. secunda incursio hostilis exercitus Regis Henrici in Gandauum Nonis Augusti. Sigebert. in Chron.

puta villas, seu officia pacificè adhuc possedit. Posteà demum ius aliquod (saluo tamen in omnibus cōuentionali iure Castellani) à Cæsare in nouum castrum anno 1110. accipiens, earum dominium, repudiato, cui obstringebantur, Traiectino ad Rhenum Præsule, adeptus est. Ideoque nonnunquam Flandriæ se *Comitem* & *Dominum* (non Alostani Comitatus Imperatoribus obnoxij) sed Ambactorum, à directi Domini obsequio emancipatorum, ratione inscripsit. Ita Gramaius. Quo autem modo Castrum hoc à Comite fuerit occupatum, mox, vbi de Castellanis, Burgrauiis ac Vicecomitibus eiusdem agetur, fusius dicam.

CAPVT II.

Petra Comitis Castellum, Arx VVandalica, Castrum Ganda.

QVam capite decimo quinto Antiquitatum Gandauensium Petram Comitis esse sentit Gramaius, hanc Ottonianam arcem, & non à Comitibus Flandriæ, sed ab ijs, quos primum Cæsar istic Præfectos constituit, nomen id vulgare nactam s'Grauen castéel alij, neque perperam, arbitrantur. De eadem, sic loquentem Gramaium audiamus. Arcium hoc caput finiat vetus turrium Hemicyclis, formâ tetragonâ, areâ spatiosâ, specioso atrio oculos intuentium perstringens, *Petra Comitis* in vulgo nuncupatum. Petra saxeum est ædificium tribunali, & carceribus publicis destinatum; sic & Prætorium Aldenardense & Wynociberganum, vnde feuda Comiti clientelam debentia mouentur, & porta Bruxellæ, turris Neomagi, domus Diestæ, etiam Ant-

nerpiæ carceribus subseruiens, *Stein*, siue *Opstein*: Petra, siue ad Petram vocantur. Hæc nostra nihil cum *Andeburgo*, nihil cum *Nouo Castro* Ottonis commune habens, Comitē auctorem ipso præfert nomine, Balduinum inquam Ferreum, si vera referunt Annales. & amplius similiter *Noui Castri* nomine appellatam fuisse, nimirum veteris Castri Ganda, siue Andeburgi intuitu, fuisse etiam ante Ottonis Imperium, & alterius, de quo supra, structuram, satis arguunt verba Chronici à Meyero ad annum 912. exscripta, quæ referunt, tū iuxta nouā Arcem Gandaui structum D. Pharaildis Templum; narrat & idem ad annum 940. Reliquias D. Bauonis & aliorum è Nigella relatas Gandauum. *Ad Arcem*, inquit, *opidi* (obseruate verba) *nostri, quia eius Monasterium in desertum redactum fuerat*; vndè cum in idem Monasterium iam refici cœptum à D. Gerardo referendę essent, *Arnulphus Comes Ecclesiam suam in nouo Castello ædificatam cernens tantis pignoribus viduari, impetrauit à Beato Gerardo articulum S. Bauonis, & Reliquias Sanctæ Pharaildis*: eâ conditione, quod Ecclesiæ Clerus annuam peregrinationem ad D. Bauonis persolueret. Ecclesiam hic intelligit, quæ Petræ Comitis vicina conspicitur, Diuæ Pharaildis venerationi dicatam; ea fuit domesticorum Comitis & incolarum atrij Palatini ab antiquo Curialis, vt nullatenus sensu, statu, situque reclamantibus, queat de Ottonia hoc Arce intelligi. Cęterum etsi auctores non habeam, dubitare nollem (inquit Gramaius) à Normannorum recessu haud dubie deformatā, ab Arnulpho Marchione splendidiore schemate adornatam, ab Insulensi Balduino duabus instructam turribus, à Philippo Elsatio contra ciuium fastum valida munitam porta, inscriptione annum millesimum centesimum octogesimum primum præferente,

Error.

Qui Annales?

De hac vide plura lib. 5. cap. 2.

te,

te,sub Ioanna, non, vt alij, Margareta Constantinopolitana, mœnibus inclusa (anno 1275. Gandaui *Castrum vetus*, respectu videlicet arcis Ottoniæ recentioris, annuente Margareta Comite, à ciuibus opido adplicatur, eiusque fossæ oppletæ, & lapidibus pauiatæ, viam prætereuntibus præbere occipiunt. Ita Locrius ex Meyero & Oudegersto) sub Ludouico Niuernensi (qui, vti & Guido Dampetræus, in ea habitauit) reparatam, à Ioanne Diuionensi exornatam, ex historiarum collatione didici. Cæterum quod ad inscriptionem Romanis characteribus in superliminari portæ huius arcis etiam nunc existentem attinet: non desunt, inquit Gramaius, qui Wandalicam opinentur, non *G. ANT.* prout nobis apparet, sed *S. ANT. SCANT.* secundo charactere eliso aut eraso legentes: deriuatum scilicet à Scandianis, vnde colluuies illa Barbarorum erupit, Insulis; addentes, quemadmodum Gothis, quaqua versus Imperium extenderent, solemne fuit turrium fastigia insigni gentis suæ gallo coronare: ita Wandalis, Sueuisque proprium superliminaria portarum aut scripto, aut vrso signare, & exemplum vtriusque dedisse Gandauum, huius in veteri Blandiniensi, illius in huius arcis frontispicio. Tamen demus Romanam esse, & *G. ANTONIVM*, siue *ANTISTIVM* designari: non ideo conuinces, opus Arcis huius Romanum esse. Potuit enim inter quisquilias, & dirutarum à Barbaris molium reliquias hæc epigraphe reperta, à Priscis antiquitatem propagare volentibus conspicua hoc loco inserta fuisse. Petra Comitis Palatium olim Principibus fuit, nunc in ea consessus est Cōcilij prouincialis; quod à Ioanne Diuionensi quodammodo Gandaui stabilitum, eo tempore superius atrium occupabat, postea commoditatis gratiâ descendit. Cæ-

terum

terum quia nonnulla Wandalſci nominis mentio à nobis iam facta eſt:obiter hic & aliud olim Gandaui fuiſſe Caſtrum à Wandalis excitatum, ad tutelam maiorem veteris Caſtri Ganda, quod illi occupauerant, ſuggero; quod circa Scaldis ripam, non procul à porta Brabantina: cum locus etiamnum, & aliquod antiqui operis veſtigium iſtic perſeuerans, vulgò *t Vandalaers Caſteel* nominetur, fuiſſe arbitror. Wandalos etiam Duce Caroco veniſſe Gandauum, occupaſſe Caſtrum Ganda, conſtruxiſſe aliud, non Gandauenſes modò, ſed Tornacenſes etiam Chronologi, Hannonum quoque, ac Francorum hiſtorię teſtantur. Quod autem ad antiquiſſimam omnium arcem attinet, & è qua nomen vrbi inditum permanſit: illic ea quondam fuit, vbi nunc Cæſaris Caroli Caſtrum, ante Monaſterium Sancti Bauonis erat, ad concurſum Scaldis & Legiæ, vt alibi diximus, non tam à Iulio Cæſare condita, quam Romanorum præſidio firmata. Inter omnia verò Scaldis Caſtella antiquitate, inquit Gramaius, portu, nobilitate, primas tenuit; vt non immerito à Wynoci-Bergano ſcriptore, *Caſtrum Scaldis, antiquis dictum Ganda*, per excellentiam puta, nominetur. Nobilitatem quoque arguit reſcriptum Eugenij Papæ datum anno Chriſti 648. ad Bauonenſes Cœnobitas, dicentis ſe rogatum, *ab Adelberto Abbate, totiſque fratribus de Monaſterio Beati Petri, quod ſitum eſt in Caſtro famoſo, nomine Ganda nuncupato.* Si tum famoſum, vnde niſi à Romanis haud ita pridem Gallia exactis? portum autem à Iulianis temporibus celebrem circa Caſtrum fuiſſe, aſſerunt Bilibaldus & alij, Geſſoriacum nauale etiam hic, ſed perperam, locantes. Cœnobium verò Sãcti Bauonis, quod in corde veteris Caſtri Gandæ, ſiue Audeburgi à Beato Amando dedicatum fuit; ab hac arce nomen

Gandæ quasi proprium sibi vendicauit. Ita diploma Caroli Calui ad annum 865. ita Ottonis 976. ita Caroli Magni 794. & aliorum, non aliter, *quam Monasterium, quod dicitur Ganda, & est constructum in honorem Sancti Petri Apostolorum principis; vbi etiam gloriosus Christi Confessor Bauo corpore quiescit*, &c. illud indigetant. Chronicon quoque Bauonense ad annum 828. Reliquias Marcellini & Petri delatas ait *ad Cœnobium Ganda, quod situm est in valle Legia, loco Ganda vocato, vbi idem amnis Scaldis dicto flumini Legiæ iungitur.* Etiam ante annos mille, Dagoberti æuo, famosam & antiquitatis merito illustrem fuisse arcem hanc asserit Gramaius cap. 9. Antiquitatum Gandēsium: nec à Francis anno 489. dominari hic incipientibus, expulso Romanorum præsidio, repetenda eius exordia, sed altius. Tradunt quoque Annales, applaudente Meyero, Wandalos Duce Caroco Castrum Gandæ non occupasse tantum, sed & à se denominatum possedisse, frustra resistentibus Belgis, reluctantibus Romanis, Gothis etiam idem postea ambientibus. Quicquid omnium sit, Romanos, Sueuos, Wandalos, Francos habuerit auctores, deletum est, inquit Gramaius, à Normannis; postea vero per nescio quos restitutum, nouissimè, bello Henricorum Cæsarum, Gandensibus pernicioso, funditus euersum, in vsus habitationis Monachorum transijt. Castrum verò illud etiam ante præsidio militari firmabatur, quod è tractu Alostano & Wasia percipere stipendia consuerat. Donec id muneris in dominatum, oneris in honorem conuerterunt Præfecti arcis Comitis Brachantini. Remanēte Castelli licet diruti peculio solum XLVI. vicorum districtu, qui in quatuor distributi membra, duobus obnoxij tribunalibus, Castellania Audeburgica Gandauensis, appellantur. Ita hactenus ferè

Magis id de Ottoniana arce dicendum.

ferè Gramaius. Cuius, quod ad arcem Ottonianam potissimum attinet, opinioni assensum prębere non possumus. Quod Petram Comitis à Balduino Ferreo, vt ait, conditam, non ipsi Flandriæ Comites primum, sed Castellani inhabitarint; quod in Aduocatia Sancti Bauonis sita sit, quæ Ackerghemium vsque se protendens, ipsum Monasterium de Biloka etiam complectitur. Arcem quoque illam Roberto, Flandriæ Comiti, Gerardus d'Engien Dominus de Sottengien, cum consensu Hugonis, qui se primo Burgrauium, seu Vicecomitem scripsit, pro terra de Saeftingen vendidit.

Vide quæ capite sequenti in Sigero II Castellano Gandensi X. diximus.

CAPVT III.

Comites, Castellani, Burgrauij, siue Vicecomites Gandauenses.

COmites Castelli noui, ab Ottone primo conditi, cum aliunde non possim clarius, hic è luculẽtis Dauidis Lindani, viri doctissimi, de Teneramonda commentarijs (quæ tamen hinc inde ob rerum nostratium tenebras erratula quædam habent) recensebo. Eorum primus *VVychmannus* è Bilingijs, seu Bilingianis, clarissima Saxoniæ familia, natus fuit; à quo Gandauensis, seu Villana domus, quæ nunc illustrium Isenghemij Comitum est, originem ducit. (quam rem vt credamus, multa nos hactenus argumenta mouent.) Illa dudum cum maxima gentis suæ gloria huic Castello Gandauẽsi, agro Wasiano, Comitatui Alostano, quatuor Ambactis, & ditioni Bornehemię præfuit. De Wychmanno autem plura capite primo huius libri, vbi de origine arcis Ot-

tonianæ egimus, cum allata sint, mox etiam ampliora videbis.

Theodoricus Wychmanni primi Comitis filius, & alterius Wychmanni, qui ad Gallos deficiens, vt ante narratum est, in acie occubuit, frater, post patrem Comitatu noui Castri potitus, coniugem *Hildegardim*, Theodorici Hollandiæ Comitis filiam accepit, & filium reliquit *Arnulphum*; cui Gandauium nomen Sigebertus quoque tribuit; eumque à Frisonibus interemptum refert. Id accidisse verò, dum Staueram ab illis repetit, auitam vrbem (cui adhuc Gandauiæ gentis insignia) Annalibus proditum est. Ibidem illi vxor datur *Lietgarda* Cliuiæ. Quod etiam Blandinij archiua adstruunt, donatione Ecclesiæ in villa Materne anno 998. Liberos habuisse Theodoricum & Adalbertum de Gandauo, ex eodem diplomate constat, vbi sunt *signa Theodorici & Adalberti filiorum Arnulphi Comitis*. Hic locus tenebras offudit Petro Oudegherste Annalium cap. XXXI. vbi alijs prælucere nititur, ratus, hunc Arnulphum Comitem, illum esse, qui inter Flandriæ Comites quinto loco numeratur, filium Balduini tertij, Arnulphi magni nepotem. Alij Arnulphum Hollandiæ Comitem arbitrantur. *Theodoricus de Gandauo* in Comitatu patrem excepit, quem etiam vlcisci conatus est: sed frustra vtrumque Sigebertus notauit. *In Fresonia*, inquit, *Theodorico Comite, filio Arnulphi Gandauensis, debellante Fresones, in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus Dux ad eum debellandum ab Imperatore mittitur, & conserto prælio, repente voce; nescitur vnde, emissâ, fugite, fugite. Cunctis fugientibus; multi à paucis Fresonibus perimũtur, Dux verò capitur*. Meminit Baldericus in Chronico, & Ægidius Aureæ Vallis monachus c. 67. qui hos Hollandiæ Comites fuisse existimant. Est autem

autem verisimile,ipsos Comitatum hunc nuptijs cum Hildegarde initis adijsse, quorum posteri dein Castellani Gandauenses, Domini de Bornhem, & Comites Alostani fuere. Obiter hic etiam annoto, vbi prædicto Sigeberti loco habetur, *Godefridus Dux ad eum debellandum*, vocem *eum* sententiam inuertere. Missus enim erat non ad Theodoricum consanguineum suum debellandum (erat enim Herimanni, qui superioris Wychmanni frater, ex filia Machtilde nepos) sed ad eos Fresones debellandos. Id ex mente Iacobi de Guysa, Hannoniæ Chronographi, vbi hic sensus: Theodorico Comiti, filio Arnulphi Gādauensis, cōtra Frisones bellanti, in vltionem patris ab eis occisi, Dux Godefridus à Cæsare subsidio missus ad eos domandos. Hic Theodoricus vxorem duxit filiam Comitis de Lusignan. Patri successit Adalbertus Comes in Comitatu Alostano, legoque, Hermengardin illi coniugem fuisse, filiam Comitis Louaniensis; fratres habuit *Henricum* & *Lambertum*, quem Bornhemij Dominum fuisse credimus; filium verò *Rodulphum* Comitem Alostanum. Per ea tempora vixit & *Rengotus de Ganda*, qui Lamberti (quod non vanè conijcitur) filius & Teneramondæ Dominus. Cui postea in Comitatu & Castellania Gandauensi filius *Folcardus*, Dominus de Bornhem, successit, mortuus Hui, vt inferius patebit. Huic quoque Comitis titulum dant Bauonensis ille Chronographus & Sigebertus. Idem est qui postmodum primus Castellanus. Ea tempestate inter Henricum Cęsarem & Balduinum Insulensem, Flandriæ Comitem, acre bellum erat. In eo occupatum à Flandro nouum Castrum Gandense, (quod dum ab Imperatoribus occupatum inquit Meyerus, tempore Balduini Barbati à Cæsare captum Petrus Oudegherste tradit.)

Ita Lindanus.

dit.) Quod si verum est, vt nihil vetat, alios ibi Præfectos, quam Comites illos, quos dixi, Cæsarem habuisse oportet. Hos enim pacatos ea tempestate fuisse, & Flandro consanguineo suo amicos, ex donationibus eorum & tabulis, quibus Flandriæ Comites subscripsere, non est obscurum. Itaque hac ratione factum credere licet, quod *Lambertus*, Arnulphi filius, omnem operam adhibuerit ad arcem illam & maiorum dignitatem recuperandam. Illud autem hac ratione factũ *a* Chronographus D. Bauonis (sed ad annum Christi 936. non bene, vt in pluribus alijs) in hæc verba commemorat:

Potuit illo bello partim Cæsari, partim Flandro, familia Gandauẽsis adhærere. Sub Cæsaribus Comitis, sub Flandriæ Principibus Castellani titulum gessit.

Prædictum Castellum in manus Comitum (Flandriæ) postea redactum est. Nam Comes Flandriæ Arnulphus Magnus imperialia vastare, & Castellum capere militibus suis commiserat; qui per densissimam syluam, irruptione ipsum Castellum, casso labore fatigabant. Cumque in vanum laborarent, Comes coacto in vnum exercitu, in loco qui Herehem tunc vocabatur, vbi necdum habitatio erat hominum, erectis lodijs, fixisque tentorijs, longo tempore obsedit Castellum. In sancto autem Sabbatho Pascha, petente exercitu discessum, & ad sua reditum, monuit Comes, vt prius contra opidanos non segnem facerent impetum. Quo facto, opidani conscisso in particulas dimidio bacone (quem solum, nec quidquam amplius in cibo habebant) fœdabant scuta pugnantium. Quæ res exanimauit Comitem; eo quod eos abundare cibarijs, nec capi posse, nisi per famem, existimaret. Itaque incensis lodijs discesserunt. Quidam Lambertus, alijs festinantibus, se subtrahens, sæpiusque respiciens, vidit de suburbio Castelli, mulierculam cum vase hauritorio ad Legiam descendere, concitato equo reuerti volentem præripuit, diligenter quid ageretur in opido sciscitatus, cumque perterrita diu hæreret, promisso ei tandem pretio, confessa est, nec vnius diei cibum eis superfuisse. Muneratâ mox muliere, Comitem subsequitur: adiunctisque

a Vixit ille Chronographus sub Cæsare Maxamiliano primo: mentionẽ enim facit Abbatis Tritemij.

iunctisque sibi fautoribus, postulat Comitem, quod nec habuit, nec fortè habiturus erat. Conclamantibus alijs, id facilè & sine damno posse dari, quod nec haberetur, nec haberi posset; assensum præbuit Comes. Igitur Lambertus Castellum nondum captum, sibi & posteris hæreditario iure, sub hac conditione postulauit: quatenus Castelli suo labore acquisiti Comes esset Comes, & Dominus, ipse verò Procurator, & Castellanus. Ordinata igitur lege, & quæ deinceps inter eos tenenda esset Iustitia, Castellum necdum habitum Comes tribuit, Lambertus suscepit. Hæc Castellania per totam Flandriam sola tum erat hæreditaria. Lambertus petitis & acceptis quibusdam militibus, tubisque quasi ad pugnam intercisо sonitu clangentibus, reuertitur: lodias instaurat; armat milites in pugnam; insultationes magnificat; suis gestibus Comitem rediisse & adesse insimulat. Opidani autem fame capti, nec vllum sperantes subsidium, maximè timore Comitis, quem reuersum arbitrantur, perterriti, accepta pace & libertate egrediendi, Castellum reddiderunt. Quo etiam ipse postmodum Hericus Cæsar cessit, legibus pacis an. CIↃ. LVII.

Castellanorum, origo, & eorum quis primus.

Hæc ad illius Chronographi mentem origo *Castellanorum Gandensium*: ita enim se posteri inscripsere, ad Hugonem Sottenghemium vsque, qui *Burghgrauium*, id est Burgi Comitem, se appellauit; donec *Vicecomitis* nomen posteri adsumpserunt, nunquam Castellani titulo vtentes. Quomodo autem *Comitis* nomen omissum sit, non omnino constat: siue illud ex pacto fuerit ante deditionem, cuius Chronographus meminit, siue post pacem cum Cæsare: quando ea Arx concessit in potestatem Comitis Flandriæ, incertum; etsi verisimile. De tempore autem illius obsidionis, & deditionis ab hoc scriptore in diuersum abit Meyerus: dicit enim sub *Balduino Pio*, siue *Insulensi*, euenisse, anno CIↃ. XLVI. (cui accinit Iacobus Marchantius) quod noster ille

Chrono-

Chronographus *Arnulpho Magno* tribuit, anno IↃCCCC. XXXVI. quæ narratio toto sæculo distat. Sed pro Meyero verũ stare, primũ inde suspicatus sum: quod nõ temere fuerit discessurus ab illius Chronographi auctoritate, à quo multis locis adiutum, passim eius annales loquuntur. Dein etiam rationes quęrenti, hæc occurrerunt: Primo, quod nouum illud Castrum structum demum est ab Ottone, anno IↃ.CCCC.XLIX Itaque non potuit à Lamberto, sub Arnulpho Magno, anno IↃCCCC.XXXVI. superari, deinquod Bauonensis ipse Chronographus scribit: *huic nouo Castello non Castellanos primò, sed Comites præfuisse, & ex ijs fuisse quendam nomine VVychmannum*: quem paulo post ad annum IↃ.CCCC. LXVII. vixisse dicit. Nunc quod ad *Lambertam* illum attinet, virum fuisse è primatibus huius æui certis notis ex Chronographi narratione liquet. Nam & familiarem Flandriæ Comiti fuisse oportet, & amicos apud Comitem Summates habuisse. Belli insuper gnarum magnæque auctoritatis hæc ostendunt: quod & exercitum ad obsidionem reduxit, & rebus gerendis cum imperio præfuit. Quæ omnia nostro illi Arnulphi filio conueniunt; quem eo facilius impetrasse, quod voluit, putare æquum est, quod Flandriæ Comiti sanguine iunctus esset, coniugijs Lutgardis Flandrensis cum Wychmanno, Herimanni fratre, Lamberti proauo, & Machtildis Saxonicę Herimanni filiæ, cum Balduino Flandriæ Comite Arnulphi filio. Cæsus tandem est ab Henrico tertio Cęsare circa Tornacum, vbi Flandrorum ductor illum à nostris limitibus arcere nitebatur. quod ad ann. CIↃ. LIII. euenisse ex Meyero videtur. Chronographus tamen Bauonensis, & cum eo Sigebertus, in annum CIↃ. LIV. eius mortem refert, eumque

Henric. III. cognomento Niger imperare cœpit an. 1040. & regnauit annos decem & septẽ. Vid. Carionẽ l. 5.

que vterque Comitem vocat (quo titulo ante dictam conuentionem, aut leges pacis, vsum credibile) & Balduini Comitis Satellitem. De hac autem Henrici Cæsaris in Flandros expeditione Sigebertum in Chronico ad annum 1054. audire lubet sic loquentem: *Henricus Imperator, filio suo Henrico puero quinquenni in regem sublimato Aquis, contra Balduinum proficiscitur, qui Scaldim fluuium Balduino fugiente transiens, omnia depopulatur, & insuper apertis sibi Clausulæ portis multa cæde inimicorum facit; & vltra Lambertũ Comitem, Balduini Comitis Satellitem cum multis perimit. multos etiã Flandrensium Primates exercitum suum prosequentes concludit intra vrbem Tornacum, & obsessos capit.* Inter vero Lamberti successores multi vulgò referuntur, quos in Schedis Harduynianis vidi (inquit Lindanus) quas is se nactum profitetur apud N. V. Franciscum Rym, Hundelghemij Dominum; & alijs item eadem serie, quas mihi V. N. Lancilotus van Royen, Ghyseghemij Dominus, communicauit; quorum plerosque nunquam Castellanos fuisse, aliquos etiam nunquam natos, variè comperi. Quos autem in probæ notę Tabulis deprehendi, hic dabo. Lamberto filij fuere *Folcardus & Alardus.* Vterque Castellanus Gandensis. De Folcardo nullum mihi dubiũ. Huius enim ad annum CIↃ.LVIII. Chronicon D. Bauonis meminit; vbi dicitur noui Castelli in portu Castellanus. Idem anno CIↃ. LXXII. in Archiuis Blandiniensibus inter testes legitur Tabularum Roberti Comitis, in confirmatione bonorum Ecclesiæ, & rursum anno sequenti testis fuit translationis Reliquiarum D. Pharahildis: quod scio ex tabulis, quas mihi recitauit CL. V. Leo de Meyere ad D. Pharahildis Præpositus Gandensis. De *Rengoto* autem nihil ego certi inueni, nisi quod legerim in tabulis Roberti Comitis

Hunc Lambertum Lensensẽ Balderic. notat.

Iisdem ferè verbis rem hanc narrat F. Iacobus de Guysa.

Ita Lindanus.

Flandriæ apud Trunchinienses, mentionem fieri Rengoti Castellani; sed de illis non iudico, quas non vidi, alibi anno CIↃ. L.XVI. Castellanum fuisse memorant. quod mihi vel maximè suspectum, quum *Folcardus* ab anno CIↃ.LVIII. Castellanus fuerit, & eundem ad annum CIↃ LXXIII. Castellanum mansisse constet. Hunc autem Rengotum illum ipsum fuisse existimo, quem supra inter Teneramondæ Dominos retuli, maritum Adelwidis, hac præsertim ratione: nam neque tempus repugnat; & illum Aduocatum fuisse Cœnobij Gandensis validissimâ coniecturâ probaui. quam Aduocatiam Gandensis fuisse familiæ nemo negat: vnde fortassis hic error; vt qui *Aduocatus* dictus sit *Gandensis*, id est, Cœnobij Gandæ, (ita antiquitus D.Bauonis Cœnobium dicebatur) existimetur idem fuisse Castellanus Gandensis. Quod autem ad Rengoti insignia attinet, quæ supra dedi, potuere ea fuisse non plena familiæ: sed ad distinctionem assumpta, qualia & *Alexandrum Villani de Gandauo*, & alios minores natu gentis Gandauiæ gestasse, varijs sigillis ipse vidi. Vxorem habuit *Folcardus Landradam*, quam Balderici Comitis Louaniensis filiam fuisse volunt. Ex qua filium reliquit Lambertum.

Plures vno, eodemque tempore. Castellani titulum, sed diuersa ratione, gesserunt. Fertur & alius quidam Rēgotus auctor familiæ de Talbotz in Anglia fuisse, ex qua Comites Saresberienses.

Hic *Lambertus* à morte patris fuit Castellanus Gandensis III. filios reliquit, *VVenemarum, Sigerum, & Arnulphum*; quorum primi tres patri ex ordine successere. huius ad annum CIↃ.LXXXII. Meyerus meminit. Coiugem habuit Machtildem, filiam Gulielmi Castellani Audomarensis, & Melisendæ, Arnulfi Pincianensis filiæ, ex stirpe Caroli Magni.

Error, sed Margareta Rogerij Cortracensis vxori, & Balduini Comitis

Lamberto II. successit *Balduinus filius IV. Castellanus Gandensis*. Hic anno CIↃ.LXXX. subscripsit diplomati Folcardi Abbatis de Aduocatione villæ Harnensis.

Hunc

Hunc *VVenemarus* frater, V. Castellanus Gandensis, excepit, quod docent Tabulæ Eggoberti, Razonis, &c. Quas cum Gerardo de Sottengien, Waltero de Durle, Balduino & Godefrido eius fratribus, Euerardo de Ganda, & huius fratre Balduino, *VVenemarus Castellanus* signauit anno CIↃ.C.XVIII. hunc ab an. CIↃ.CI. Castellanum fuisse docent Tabulæ Manassis Episcopi Cameracensis. Idem Ecclesiam apud Bornehem (cuius erat Dominus) fecit libertate donari: qua de re diplomatis exemplar vidi, sed sine anno. Prima ei fuit vxor Lutgardis, altera Gisla de Ghisnes, ex qua Comites Ghisnenses. *Ghisnensis sorori, & ad viam Castellana.*

Post hunc inuenio *Sigerum VI. Castellanum Gandensem*, fratrem Balduini. Hic anno CIↃ. C. XX. confirmauit diploma Caroli Dani Flandriæ Comitis, *conuentione inter Arnulphum Abbatem & Euerardum de Gandauo.* Eodem anno signauit Tabulas eiusdem Comitis de libertate Cœnobij. vbi inter testes recensentur Balduinus Alostensis, Razo de Gauera, & Gerardus Camerarius. Idem Sigerus legitur cum Gerardo de Sottengien, in alio quodã eius Caroli diplomate, quod datum anno CIↃ.C.XXIII. Filiam reliquit Aliciam, quæ nupta est Hugoni de Pickers militi.

Sigero successit *VVenemarus II. Castellanus Gandensis VII.* qui cum Ywano Alostensi, Daniele de Teneramonda, & Euerardo de Gandauo subscripsit diplomati Theodorici Elsatij an. CIↃ.C.XXXIII. Et rursũ eodem anno legitur in altero eiusdem diplomate, cum Ywano Alostensi hic idem ille fuisse potuit, aut saltem superior, de quo ad annum CIↃ.C.XXVII. Anselmus Abbas: *Ibi*, inquit, *Legati Comitis Morinorum* (id est Flandriæ) *Caroli scilicet, Castellanus Ganda & Abbas S. Petri ad eum venerunt, nuncian-* *Non successit ei VVenemarus, sed iũctim cum fratre Castellanus fuit*

nunciantes Dominum suum Comitẽ subiectionem ei facturum.

Error. Vide proxima in ampliore nostra stirpis Gandauia descriptione. Viuianus tantum vt Praefectus Castellaniã guberna uit.

Wenemaro vita functo nulla relicta sobole, & sorore eius itidem è viuis sublata, *Viuianus* fuit VIII. *Castellanus Gandensis*, vt in diplomate Theodorici Elsatij anno CIↃ. C. LVI. legitur *de terra de Oudeuelde, & quadam sylua Mentach nuncupata, & earum appendentijs, cum omni iustitia, quod Viuianus Castellanus Gãdensis* signauit, Patrem habuit Arnulphum, filiũ Lamberti Castellani; patruos, *Balduinum, VVenemarum, Sigerum, Castellanos*; patruelem, *VVenemarum* itidem *Castellanum*, cui ab intestato successit. Huic Viuiano tutorem faciunt Ywanum de Alost: qui ea ratione se Castellanum Gãdensem inscripserit diplomate Theodorici Elsatij anno CIↃ. C. L. de decimis Oostburgi. Vxorem Viuiani lego fuisse filiam Saſſuwali Castellani Insulensis, qui etiam ex gente Gandauia putatur originem ducere. Creditur enim frater fuisse Folcardi & Rengoti, Lamberti primi Castellani filius. Fratrem habuit Ascherieum, qui Theodorici Elsatij diploma anno CIↃ. C. LVI. signauit; & Gulielmum, quod alterum eius Principis diploma docet datum anno CIↃ. C. XLV.

Non Beuerana, sed Ghisuensis & de Gandano.

Viuianum excepit *Rogerius IX, Castellanus Gandensis & Cortracensis*, Margaretae Beueranae maritus: qui cum Steppone Alostensi legitur in diplomate Theodorici Elsatij *de indulgentijs teloneorum* an. CIↃ. C. LVI. & rursum diplomate Philippi Elsatij sine anno *de CCC. mensuris Mori inter Calf & VVulfroeck*. Idem eiusdem diploma signauit *de decimis Oostburgi* anno CIↃ. C. LVIII. rursum anno CIↃ. C. LXXX. de Bannitis S. Petri. Et denique anno CIↃ. C. LXXXV. eiusdem diploma, quo declarat, *quod Comes nihil iuris habeat de Gandauo in villa S. Petri*. Filium habuit Rogerium & Stepponem, vt familiae archiua habent; & insuper Walterum & Ghiselbertum, vt li-

Habent archiua familiae Sigerum,

quet

quet tabulis Philippi Elsatij anno CIↃ. C.LXXI. donatione terrarum à Lancdam secus Cattelegauere: vbi dicuntur filij Rogerij Castellani. Quod per excellentiam de Castellano Gandauensi intelligendum nemo neget, quum hæc Castellania & potissima semper fuerit & sola principio perpetua, idque factum ad imitationem Comitum noui Castri, qui absolute Comites se inscripsere sine vlla adiectione. *& Rogerium Cortracēses.*

Rogerium secutus est Sigerus II. a *Castellanus Gandensis* X. vt liquet ex diplomate Balduini Comitis, anno CIↃ. C. XCVIII. *donatione cuiusdam syluæ.* Hunc paulo post Castellania cessisse, & aulicam vitam monastica mutasse locuples testis est Balduinus, qui anno CIↃ. CC. I. diplomate, quo *Blandiniensibus legat quatuor bonaria terræ nemorosæ, pro sua, & uxoris Matiæ salute.* Hunc donationis suæ testem vocat *fratrem Sigerum quondam Castellanum Gandensem.* De hoc ita Meyerus: *Consurrexit & Sigerus Gandensis, vir admodum locuples, & ample cognationis, arcemque Gandauensem contra ciuium, vt ferunt, superbiam, ab Elsatio Philippo munitam, sibi suisque libere retinere contendebat.* quam tamen Comitis eo quo domicilium fuisse ex eodem scriptore certum mihi inditium. Etenim indubitatum est, hanc arcē Gandauiæ gentis fuisse ex permutatione cū arce Sastingana, quam pro Ottonis illa mole Gerardus Sottengemius, Mariæ Castellanæ maritus, postmodum à Roberto Betunio accepit. Vxorem habuit *Petronillam de Engien & Couchy,* quam ad annum CIↃ. CC. XV. superstitem fuisse ex Tabulis constat eo anno datis, quarum hoc initium: *In nomine Patris, &c. Ego Petronilla vxor quondā nobilis viri Sigeri Castellani Gandensis, &c.* Ex hac sustulit Arnulfum, Sigerum, Theodoricum, Danielem, Walterum & Ægidium.

a Ex Ghisnensibus & Gandauijs, Balduini filius, Arnoldi nepos, VVenemari abnepos.

Fuit hæc Petronilla de Courtray filia Rogerij, non Cochiacēsis, sed Cortracensis. Vide quæ paulo post sequuntur.

dium. Hic ille Ægidius est, qui Gandensi nomine omisso, cognomen de Claerhout assumpsit, atque ita nouæ quasi familiæ originem dedit. Filium reliquit Ægidius Arnoldum, hic Rogerium, Rogerius Ægidium, Ægidius Oliuerium, qui pater fuit Rogerij auus Danielis, proauus Ioannis, qui filium habuit Eulardum, nepotem Adrianum, pronepotem Ioānem, cui filius Gulielmus, qui ex priore coniuge Margareta de Baenst, Vornusellæ Domini filia, nulla suscepta sobole, Ioannam de Halowyn, Maldeghemi & Vutkerckę hæredem duxit. Ex qua natus Iacobus Pitthemi Dominus, Baro Maldeghemi, qui ex Anna de Merode, Richardi Baronis de Frentz filia, filium sustulit Lamoraldum de Claerhaut, Baronem Maldeghemi, Pitthemi, Coolscamp, Vulkerckæ, &c. Maritū Franciscæ d'Ognyes, filiæ Domini de Beaurepart. Ex qua hæredes habuit Annam & Odiliam. Præter Lamoraldum filiam reliquit Iacobus *Odiliam*, quę nupta est, vt ante dixi, *Iacobo Philippo de Gandauo*, Isenghemij Comiti, &c.

Patri *Sigerus III.* successit Castellanus Gandensis XI. vt docent Tabulæ anni CIↃ. CC. XVI. *quibus Machtildis Domina Teneramondæ, & Sigerus Castellanus eligunt arbitros, ad finiendam controuersiam de Tenura, Aduocatiæ S. Bauonis, quam parentes (id est maiores) eorum tenuerant.* Vnde etiam illud liquet, hanc Machtildem nostram ex Gandauia familia fuisse, an paterno genere, an materno, incertum de illo suspicor; quod in Villanę familiæ Archiuis de Heusden nuncupatur, quod Dominium Gandauiæ gentis fuisse plures Tabulæ fidem faciunt. Idem Sigerus dat anno CIↃ. CC. XVIII. Ouerbecanis potestatem struendi pontem: anno dein CIↃ. CC. XIX. confirmat donationem patris, quoad decimas, in Bochaut. Idē legitur in diplo-

Genus paternū planè illi ex Gandauijs.

diplomate Ioannæ Comitissæ anno CIƆ. CC.XXI. vnde & hoc didici, filium habuisse Gerardum; & denique Tabulis anni CIƆ. CC. XXVII. largitur Cœnobio Diui Bauonis *decimam, quæ dicitur Smalsiende, in VVenesvvale.* Hic ille est, quẽ *inter eminẽtissimos aulæ Proceres* Meyerus ponit. Vxorem habuit Beatricem de Lens, & ex ea liberos, Hugonem, Gerardum (qui Diabolus dictus est) Sigerum, Ferdinandum, & Bernardum; hos familiæ archiua suggesserunt. Tabulæ Bauonenses sextum adijciunt Wilhelmum nomine. Conditus est Bornehemi, habuitque ibidem monimentum, ante ciuilis nuperi belli dissidia spectabile: cuius adhuc maxima pars superest. de quo infra.

Sigerus hæredem reliquit *Hugonem XII. Castellanum Gandensem*; quod ostendunt tabulæ Roberti Betunij Teneramondę Domini: vbi, *affuerunt*, inquit, *huic negotio cum fieret, homines mei, videlicet Hugo Castellanus Gandensis, & Rodulphus miles de Roden, & Ægidius miles de Morsca, & Dominus Adam de Hetdinesem.* Actum anno CIƆ. CC.XXVII. & aliæ *Sigeri fratris Hugonis Castellani*, quibus *oppignorat Cœnobio D. Bauonis decimas in Nieuwenotene, eiusque rei obsidem dat Dominum suum Robertum Teneramondæ Dominum anno* CIƆ. CC. XXXI. Idem cum fratre Sigero recensetur inter testes fundationis Abbatiæ Swiuecanę. Hunc Hugonem Robertus Teneramondæ Dominus, *Castellanũ Gandensem Husdinij Dominum, cõsanguineum suum* vocat. Vxorem habuit *Odam*. Hæc marito fuit superstes, vt tabulæ Duhenses docent, quarum hoc initium. *Oda Domina Castellana Gandensis, relicta bonæ memoriæ Domini Hugonis quondam Castellani Gandensis, & Domini de Husdinio.* Hæc anno CIƆ. CC. XXXII. liberos reliquit, Hugonem Villanum (cuius nomen ab Alexandro filio ad posteros,

Fuit Oda de Rodio, vulgò de Roeux, Hannoniensis.

vt

vt gentile, transmissum est) Eglinam, & Ioannem, cui agnomen Burgundio.

Patrem secutus est Hugo II. Castellanus Gandensis XIII. quod docent Tabulę, quibus *dat Cœnobio D. Bauonis decimas suas in Adendycke, absque iure feudali, & omni seruitio liberas, anno* CIↃ. CC. XXXVIII. & aliæ, quibus *Hugo Castellanus Gandensis remittit ius suum, quod habebat in quodam fossato, quod Ecclesia Bauonensis fodi fecerat in suo fluuio, circa locum dictum Oydonck, in alodio Ecclesiæ de Mendonck.* Tertiæ item, quibus *quitat discordias inter ipsum & Ecclesiam* motas, ratione suæ Aduocatiæ Parochiarum de Mendonck, Wondelghem, Euerghem, & Eckerghem. Actum an. CIↃ. CC. XL. Idem legitur inter testes Tabularum Guidonis Flandriæ Comitis, & Ioannis Dampetrę, Toparchæ S. Desiderij, super emptione opidi Baliolani cum appendentijs, anno CIↃ. CC. LXXXVIII. Minorennem fuisse, cum pater vita defungeretur, ex prædicto *Oda* matris eius diplomate liquet: *vbi, ipsam quoque conuentionem,* inquit, *dilectum filium meum Hugonem, dum ad annos discretionis peruenerit, faciam approbare.* Tutorem habuit Gerardum de Gandauo, dictũ *Diabolum,* patruum suum. Vxorem duxit Mariam (erat hæc Rasonis Gauerani filia) quod testantur tabulæ, quibus, *cum vxore Maria vendit Blandiniensibus omne ius, quod habuerat, vel habere potuerat, quoquo modo, in VVastinis iacentibus in Parochia de Tamisia; excepto Dominio, & forefactis ibidem cõtingentibus, & per Scabinos adiudicatis.* Hic ille est, qui Margaretæ Flandriæ Comitissę vendidit Bornhem Castellum pretio trium millium quingentarum & quindecim librarum Parisiensium: quod ratum habuit vxor eius Maria. Filiam reliquit Hugo *Mariam Castellanã Gandensem XIV.* Husdini Dominam, quæ nuptijs in externam familiam hanc

hanc dignitatem transtulit. Maritum habuit Gerardum d'Engien, Dominum de Sottengien. Vtriusq; communes tabulas & sigilla vidi indicio doctissimi viri Antonij Sanderi, in Archiuis Equitum Melitensium Gandaui: quibus *Gerardus Eques, Dominus de Sottenghien, & Osdeyn, Castellanus Gandensis, & vxor eius Maria Castellana Gandensis, & Domina dictorum locorum, dant equitibus S. Ioannis* (qui vulgò Templarij) *partem terræ ante domum templi* (id est Templariorum ædem) *super Brielo* (loci id nomen Gandaui.) *Actum anno Domini CIↃ.CC.XCIII. Dominica Lætare.* In sigillo, quod integrum, spectantur mariti insignia gentis d'Engien, coniugis verò Gandauiæ siue Villanæ. Iidem cessere Roberto, Guidonis filio, Flandriæ Comiti, arcem Ottonianam Gandaui, facta mutatione cum arce Saftingana: qua de re exstant Tabulæ datæ anno CIↃ.CCC. Huic Mariæ, vti & parenti eius, tutorem dant *Gerardum de Gandauo*, qui se etiam *Diabolum* inscribit, *Sigeri Castellani* filium, fratrem *Hugonis Castellani*, qui fuit auus huius *Mariæ*; eumque, quod tutorio nomine Castellaniam obierit, vulgò *Castellanum* fuisse putãt. Filium reliquit *Maria Hugonẽ*, qui à morte matris *Burchgrauium* se *Gandensem* & *Vicecomitem* inscripsit: quod & alibi obseruaui, & in Tabulis, quibus *Ioannes de Naeldewijck* (Hugonis cognatus) *largitur Ioanni Mendonck hæreditariam suam portionem in bonis Gerardi Diaboli; quas Hugo Dominus de Sottengien, Burgrauius Gandensis, confirmauit* anno CIↃ.CCC.XVI. Hactenus ita ferè Lindanus. Itaque è Gandauensi, seu Villana Comitum Isenghemiorum familia Comites Gandauenses, siue Castri Ottoniani sex, Wychmannus, Theodoricus, Arnulphus, Theodoricus, Adalbertus, Lambertus. Ex ijs verò oriundos octo Comites Alostenses, Cameraci protectores, idem

Z recen-

recenset Lindanus. *Deriuatum* etiam *hunc Comitatum ex Comitibus Castelli noui Gandensis ab Ottone Cæsare ad Gandauum anno* 948. (sic ipse sentit) *ædificati, & à splendida Germanica familia, cui deinde à Gandauo nomen fuit, mansisque, administrati*, asserit Marchantius. *Nam illius*, inquit, *Arcis Ottonianæ Præsidibus, terra brachanta, quæ post Alostana audijt, cum quatuor Ambactis assignabatur, vt stipendia alimoniamque præsidiarijs militibus illinc prouiderent. quam auctoritatem in dominatum verterunt. Cæsarum beneficio Alostani Comites dehinc nuncupati.* Inter eos, eodem Lindano teste, Adalbertum, Arnulphi filium, Theodorici nepotem, Wychmanni pronepotem, primum Comitis Alostani titulum accepisse, ex archiuis eiusdem familiæ & historijs colligitur. Liberos habuit Rengotum & Lambertum, quorum hic primus fuit Castellanus Gandensis, vt ante dictum. Filium putatur & reliquisse Adalbertus, quem *Rodulfum* Chronographus Affligemiensis vocat, Fulgentius Abbas in diplomate *Adolphum*, qui in familiæ Villanæ Tabulis anno CIↃ.LXX. vixisse dicitur. Illum *Balduinus* filius excepit: qui coniugem habuit *Odam*, vnde sustulit Balduinum Crassum (qui Niceæ saxis obrutus perijt) Rodulphum, qui Comiti Flandriæ fuit à cubiculis; Ghyselbertum, qui Foreſtēsis iuxta Bruxellam Cœnobij auctor; Gertrudem, quę Arnulphum Bergensem maritum habuit; & Leodegardin, quæ in fraterno Cœnobio cum Oda matre vitam Deo sacrauit. Hic ille Balduinus est, cuius, & Ghyselberti filij, Lotbertus Abbas meminit in diplomate Foreſtēsi an. CIↃ.LXXXVIII. & illum ibidem Gandensem vocat. Patre vita functo, filius *Balduinus* Comitatum adijt, habuitque vxorem Remauinden (ita Meyerus ad annum CIↃ. C. eam alibi Reyneuinden vocat) vnde nati Balduinus, Ywanus & Radul-

Lib. 1. Commētar. in descriptione Alosti.

Vide Miraum Orig. Benedict. c.57.

Fuit Balduino

Radulphus, quem Brugensem Castellanum fuisse Theodorici Elsatij diploma docet. *vxor Lutgardis de Grimberga.*
Balduinus ætatis priuilegio hanc ditionem accepit, fuitque adhuc superstes anno CIↃ. C.XXV. vt liquet diplomate, *quo cum fratre Ywano reddit Ecclesiam de Herenbaldeghem in manus Episcopi ad opus Ecclesiæ Affligemiensis.* Huius diplomatis initio Alostensi cognomine vtitur, in sigillo autem Gandensem se vocat: quo nomine etiam superiores illos vsos constat. Filiam reliquit Beatricem, quæ nupta est Theodorico Burburgensi, alij sororem eius Adam nomine, vxorem Dixmudani faciunt.
Mortuo Balduino fratre, *Ywanus*, exclusa Beatrice illius filia, hunc Comitatum occupauit, præsidio Theodorici Elsatij, cuius filiam Laurettam vxorem duxerat. *Meyerus 1140.* Ex illo coniugio natus Theodoricus, qui à morte patris, *Dei gratia Dominum & Principem Alostensem* se inscripsit; donatione quadam Affighemiensibus facta anno CIↃ. C. LXIV. Hic ducta vxore Laurentia, Balduini Hanoniæ Comitis filia, cum nullam reliquisset sobolem, *Philippus Elsatius* Flandriæ Comes, nequidquam reclamante *Theodorico Broburgensi*, Comitatum accepit, & ad posteros Flandriæ Comites in hoc vsque æuum transmisit. Sex itaque illi arcis Ottonianæ Comites, octo his Alostensibus iuncti, & totidem Gandauensibus Castellanis, caussam Gandauiæ, seu Villanæ genti præbuisse videntur, ob quam gentilibus armis suis, & subscriptionibus cunctis numerum illum celebrem XIV. inserunt. Castellani enim eiusdem familiæ etiam XIV. hi fuere, Lambertus, Folcardus, Lambertus II. Balduinus, Wenemarus, Sigerus, Wenemarus II. Viuianus, Rogerius, Sigerus II. Sigerus III. Hugo I. Hugo II. & Maria, Gerardo Angiano, Sottenghemij Toparcho, nupta, vt ante

 dictum

dictum est. Hugo Sottenghemius à morte matris primò se Burchgrauium, seu Vicecomitem inscripsit. Is, Lindano teste, ad annum vsque CIↃ.CCC.XX. superstes vxorem habuit Beatricem de Putte & Stryen; vnde filiam sustulit, & hæredem Isabellam, quæ in flore ætatis extincta est anno CIↃ. CCC. XXVIII. Hæc maritum habuit *Hugonem de Antoing*, Espinoyæ Dominum, hæreditarium Equitum Flandriæ Magistrum. Hæredem reliquit *Isabellam de Antoing* Vicecomitem Gandensem (ita, Castellani nomine plerumque omisso, posteri se vocauere) quę prioribus maritis, *Henrico Louaniensi*, Herstalli & Gaesbekæ Domino, & *Alfonso de Castella*, sine hærede mortuis, tertium nupta est *Ioanni de Meleun*, Monstrebelai Domino, qui Carolo sexto Gallorum Regi à Cubiculis fuit, à quo modernus *Vicecomes Gandauensis* originem ducit. Hoc enim coniugio natus est *Hugo*, cui coniux *Beatrix de Beausart*; quorum filius *Ioannes* Eques aurei velleris sustulit ex *Ioanna de Abbeville*, Caumontij Domina, *Ioannem*, maritum *Mariæ de Sarrebrusse*, filiæ Comitis Roussy, patrem *Ioannis*, qui vxorem habuit *Elisabetham de Luxenburgo*. Hunc filius *Franciscus* excepit, *Ludouica à Foix*, Candalę Comitis filiæ, maritus, pater *Hugonis* primi Espinoyæ Principis, cui coniux *Iole de VVerchin* Hannoniæ Seneschalla, ex Barbançonijs oriunda. Vnde natus *Carolus* Espinoyę Princeps, *Petrus* Hannonię Seneschallus, *Robertus* Vicecomes Gandensis, *Helena*, & *Maria*, quę *Lamoraldo* Principi de Ligne nupta, præter plures liberos, peperit *Florentium* Marchionem Robacensem. Ex prædicta Hugonis & Ioles sobole Petrus ex Hippolyta Montmorenciaca liberos sustulit, Gulielmum, Henricum, Henrico-Annam & Petro-Hippolytam; qui dum in Gallijs per nupera Belgarum dissidia secessum habue-

Castellania quomodo familiæ de Antoing.

re; morte *Roberti Vicecometis*, qui sine prole decesserat, ad *Mariam* eiusque filium *Florentium*, dono Regis ea dignitas abijt; pacatis verò Belgarum Gallorumque rebus, *Gulielmus* de Meleun, Petri filius, Espinoyę Princeps, iure postliminij auitam hanc possessionem recepit, & nunc possidet. Hic finis Castellanorum noui Castri Gandensis & Vicecomitum. Vnde Bilingios Gandauium nomen assumpsisse manifestum. Cæterum cum olim amplissima Comitis & Castellani fuerit potestas, sensim maiore Comitum Flandriæ potentia fracta & imminuta, nunc Vicecomes Gandauensis labarum, seu vexillum Gandense portat, villarum aliquot census percipit, & viarium vicariumque vectigal. Primatum quoque inter Vicecomites tam Imperij, quam Regni, Comitijs Flandrensibus obtinet.

Sed vt ad ea, de quibus antea non plenè locuti sumus, redeat eximia Gandauensis seu Villanæ gentis, nullique non inter Europæas propagines comparanda nobilitas, id promeretur; plura vt hic de eadem, tum è fidelibus historijs, tum è diplomatis, alijsque incorruptæ veritatis, quæ passim adhuc in cœnobijs Belgicis latent, monumentis hausta, in medium adferamus. Illius itaque maiores, à quibus Comites, & Castellani Gandauenses ortum, & ab his modernus Isenghemij Comes, eiusque liberi habuere, Catalogus hic recensebit. Quem vel ob id iucundum ciuibus nostris, lectuque suauem fore confido: quod non ad illius modò familiæ splendorem, & ornamentum, sed ad vrbis quoque nostræ dignitatem, ac gloriam (ex ea etenim vti Consules non paucos, quorum summa per ea tempora fuit in vniuersa Flandrorum Prouincia auctoritas, ita militarium ordinum Duces, & exercituum etiam Præ-

fectos habere promeruit) ad ijs etiam, quæ prius diximus, maiorem lucem, ac fidem conciliandam momenti plurimum allaturus sit. Ab eo itaque, qui primus è Germania in hanc Belgicæ partem venit, & gentis huius apud Flandros quasi fundamenta iecit, auspicabor. Fuit autem is circa annum Domini 940.

Bilingiana familia decora Historijs, & Annalibus Saxonũ decantata, adeò per orbem vniuersum Christianum clara sunt; vt si vel nostro iã, vel alterius cuiuspiam stilo illustrentur, non aliud fiat, quam si ad solem medio die videndũ facula accendatur. Pro illâ vindicias Meybomius Germanus scripsit, quas Bilingianas nominauit.

VVychmannus Biliug Saxo. Frater ei fuit Herimannus Dux Saxoniȩ inferioris, cui vxor Hildegardis de Westerburch, dono Ottonis primi Imperatoris. Ab Herimanno venit Benno primus Saxoniæ Elector, & Machtildis vxor Balduini, filij Arnulphi magni Flandriæ Comitis, postea Godefridi Ardennatis. Herimanni vero abneptis nomine Gertrudis vxor fuit Florentij Comitis Hollandiæ, post Roberti Frisij Comitis Flãdriȩ senioris. Eius stirps desijt in Helica vxore Ottonis Diuitis, Comitis Ascaniæ, Balmstede, & Anholt, & Wilfilde Ducissa, vxore Hẽrici Bauari Guelphi, qui Niger dictus, obijt 1125. quæ ad has familias dignitatem electoratus & Comitis Stabuli, Gladiferi transtulerunt. De Herimanno sic Witichindus a antiquissimus Saxoniæ scriptor: *Placuit igitur nouo Regi, nouum Principẽ militia constituere, elegitque ad hoc officium virum nobilem, & industrium nomine Herimannum. Quo honore non solum cæterorum Principum, sed & fratris sui VVychmanni offendit inuidiam. Quapropter & simulata infirmitate amouit se ab exercitu. Erat namque VVychmannus vir potens & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tanta scientia, vt à subiectis supra hominem plura nosse prædicaretur.* Hactenus Witichindus. Henningius b verò, etiam celebris in Germania scriptor, Herimannum, fratrem Wychmanni, *virum nobilissimum* vocat. Quartus Wych-

a *Lib. 2. de Gestis Saxonicis.* b *Parte 2 fol. 98. idem fol. 243.*

Wychmanni frater fuit Amelingus, 960. Werdæ ad Rhenum Episcopus. Vxor verò Lutgardis, filia Arnulfi Magni Comitis Flandriæ. Ambo in Blandinio sepulti sunt. Cui Monasterio ad annum 962. Theslam (pagus nunc Desselberghe vocatur ciuitati Gandauensi vicinus) donauit, *pro remedio animæ suæ, & coniugis suæ Lutgardis*, ita in diplomate loquitur, quod etiamnum ibidem exstat, & à Mirço suo Donationum Codici inseritur. Titulus est: *VVychmannus gratia Dei, non meis meritis, Comes, &c.* Noui *a* videlicet Castri Gandauensis, cui suberant quatuor officia, Assenede, Hulst, Apla, Bocholt, Wasia tota, & Alostum, iuxta Marchantium. Fors & Teneramonda vicina. Ex Lutgarde liberos suscepisse non legitur, quæ obijt 961. Prius verò nuptias in Germania contraxit, & filios, Theodoricum, & Wychmannum iuniorem, ita dictum ad distinctionem patris, habuit. Horum mentionem facit Witichindus, item auctor quidam alius nomine Ditmarus. Wychmanni itaque filius

b Theodoricus Comes. Hic an. 953. fuit Dux exercitus Ottonis Imperatoris in obsidione Moguntiæ; frater eius Wychmannus, qui coniugem habuit, &, quod verosimile, in Saxonia Comitatum. Vxor Theodorici fuit Hildegardis, filia Theodorici Aquitani, Hollandiæ Comitis. Donant coniunctim Monasterio Blandiniensi *c* Cleyham in pago Flādrensi. Eius rei exstat diploma in Blandinio. De Wychmanno autem iuniore, huius fratre, operæ pretium sit, *d* Witichindum ita loquentē audire: *Quum ex aduerso, & post tergum premeretur VVychmannus, fugam inire tentauit. A socijs igitur arguitur sceleris, quia eos ipse ad pugnam instigauerat, fidensque equo, quo, cum necesse*

VVychmannum Lothanus nobilissimum Comitem vocat.

Exstat diploma in Blādinio, in quo cōfirmat donationē Thesla

a *Vide Meyerū ad ann. 961. &c. VVitichindū, Oudegerstum, Lindanum.*

b *De hoc vide Crātzium, Sigebertū, Meyerū, Flodoardum.*

c *Vide Meyerū ad ann.* 977. *qui putat nunc esse pagum prope Dixmudam, Reybam appellatum, cuius adhuc, inquit, Eccles. ministerium tenet hodie Abb. Bland.* d *Lib. 3. fol. 48. 49.*

se foret, fugam facile iniret, coactus equo cessit, pedestris cum socijs certamen inijt, eoque die viriliter pugnans, &c. Optimates autem hostium cum eum reperissent, ex armis agnoscunt, quia vir eminens esset; interrogatusque ab eis, quisnam esset, VVychmannum se esse professus est, &c. Ille, licet in vltima necessitate sit constitutus, non immemor pristinæ nobilitatis, ac virtutis, dedignatus est talibus manū dare; &c. Accipe, inquit, hunc gladium, & defer Domino tuo, qui pro signo victoriæ eum teneat, & Imperatori amico transmittat; quo sciat aut hostem occisum deridere, vel certè propinquum deflere: & his dictis conuersus ad orientem, vt potuit, patria voce Dominum exorauit; animamque multis miseriis, & incommodis repletam pietati Creatoris omnium effudit. Quod vero Theodoricus hic in Comitatu Gandensi patri successerit constare potest ex eo, quod filius eius Arnulphus Gandensis, & Comes Gandauensis dictus sit.

Ad ann. 981. Vide Anselmum Canonicum Leodiensem de gestis Episcoporum Leodiensiū. a An. Regis Lotharij 28 sub regimine Domini Abbatis VVidonis

Arnulfus, Theodorici filius, vxorē habuit Lutgardim, fratrem Euerardum, cui filius Balduinus Dominus de Rummingien; Soror quoque Arnulfi fuit Lutgardis vxor Hilduini. Arnulfus hic Gandensis dicitur à Balderico, Sigeberto, auctoribus Synchronis, ab Ægidio verò Aureæ Vallis, qui ante quatuor sæcula scripsit, Comes Gandauēsis nominatur. Eundem bona in Frisia habuisse, & ibidem contra Frisones dimicantem occubuisse, ijdem auctores referunt. Albericus vero auctor, qui ab annis quadringentis etiam floruit, eum Hollandiensem vocat. Quin & annales Hollandiæ eum pro suo Comite agnoscunt. Ægidius autem de Roya Monachus Dunensis, eum de Gandauo dictum tradit, quod Gandaui natus fuerit. Quod eum fuisse Gādensem Comitem pariter indicat. a Ad annum 981. Arnulfus quasdam sui iuris possessiones donat Blandiniensibus in pago Teroanensi

nensi sitas. Exstat diploma in Blandinio. Idem ad annum 998. Roberto regnante in Francia, & Domino Abbate Rodboldo regente idem Cœnobium donat Blandiniensibus Ecclesiam de Materne in ditione Alostana. Exstat diploma, quod sic habet: *Arnulfus gratia Dei Comes cum coniuge Lietgarda, & filio Adalberto consequi cupiens portiunculam beatitudinis cum his, qui patrimonijs suis Domino legaliter traditis, cælestem peruenerunt ad hæreditatem, donat Cœnobio Blandiniensi Gandaui allodiũ suum, id est, Ecclesiam in villa Materne, cum omni integritate ad ipsam pertinente, in cultutis, terris, mancipijs, &c. vt videre est in litteris sub signis dicti Arnulfi, Balduini iunioris Marchisi, Adalberti Comitis, filij Arnulfi, Theodorici Comitis, filij Arnulfi, &c.*

Arnulfus filios habuit quatuor, *Adalbertum, Theodoricum, Henricum & Lambertum.* a *Theodoricus, Arnulfi filius, Castri noui Gandensis Comes,* vxorem habuit N. de Lusignan, sororem Oginę, Balduini Pulcrobarbi coniugis. ab hoc manare seriem Comitum Hollandorũ quidam, nec immeritò, suspicantur. Occubuit in Frisia mortem patris vlturus. De patre sic *b* Anselmus Canonicus Leodiensis de Gestis Episcoporum Leodiensium: *Arnulfus Comes Gandauensis contra Frisones dimicans victus, fugâ salutem meditatus est, sed præuentus ab illis occisus est; cuius mortem Theodoricus filius eius vlcisci aggressus, totam penè Frisiam igni, ferro, omnique nocendi arte populatur.* De filio verò ita Sigebertus: *In Fresonia Theodorico Comite, filio Arnulfi Gandauensis, debellante Frisones in vindictum patris sui ab eis occisi, &c.* Baldericus *c* verò sic: *Theodoricus Arnulfi Gandensis filius, qui participium Monarchiæ Frisonum tenebat, Frisones pro morte patris, quem interfecerant, suspectos habebat.* Adstipulatur Chronicon *d* Niniuense, eisdem cum Sigeberto, vnde desumpta videntur, verbis; *Anno 1018. in Fresonia annot.*

a Ad an. 1018. Meminerunt Theodorici Sigebertus, F. Iacobus de Guisa, Baldericus Episcopus Tornacensis in Chronico Episcoporum Cameracensium.
b *Lib. 3. cap. 19.*
c *Lib. 3. cap. 19.*
d *Exstat Niuonia msc. auctore Balduino ante trecentos & plures annos.*

nia Theodorico Comite Flandrensi, filio Arnulfi Gandensis, debellante Fresones in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus Dux Lotharingiæ ad eos debellandum ab Imperatore mittitur, vt Fresones . . . . . . qui ei consenserant. Conserto itaque prælio, repente vox, vnde nescitur, quasi desuper emissa sonuit, Fugite, fugite; sicque multis in fugam versis, multi à paucis occiduntur, Dux vero capitur: Dux autem Godefridus, impetrata Fresonibus ab Imperatore totius iniustitiæ impunitate, à captiuitate soluitur; & non multo post moritur. Frater vero eius Goselo in Ducatu ei succedit.

Theodoricus vocatur Comes Fresoniæ à Balderico, & Ægidio. *Bellum quoque gessit contra Godefredum Lotharingiæ Ducem, Episcopum Traiectensem, & alios. Construxit munitionem iuxta Dordracum in Meerwede.* Ita Baldericus. *Pugnauit propè Vlaerdingem.* Ita Ægidius. Frisia tum temporis extendebatur per Hollandiam, Zelandiam, & alias vicinas insulas vsque in Flandriam. Teste Lamberto Schatnaburgensi ad annum 1071. & alijs auctoribus.

A quibusdam statuitur hic primogenitus.

Alter Arnulfi filius fuit *Adalbertus*, à quo Comites Alostani, defensores & Aduocati Ecclesiæ Cameracensis, qui Gandauenses dicti; & à quibus Domini Teneramondenses orti videntur; qui etiam ex parte Aduocati Sancti Bauonis, vti Castellani Gandauenses, fuere. Vxorem habuit *Adalbertus Ermengardin de Louanio.*

Series Comitum Alostensium è familia Gandauensi.

Vide Meyerũ & Marchantiũ. In Archiuis Marchiæ

ADalberti filius *Rodulfus*, creditur ex Ermengardi. eius mentio fit ad annum 1046. 1056. 1070. Vxor eius Comitis Valencenensis soror. Hic Rodulfus subscribit litteris Balduini Barbati, & Oginæ Comitissæ filij de sylua pabulensi, in qua hospites Ecclesiæ ligna acceperant.

ceperant, ad focum faciendum, vel domos reparandas, quamque Ecclesia vendere, succidere, vel ad culturam redigere poterit, anno 1046. Rodulfi filius fuit *nensis Cœnobij.*

Balduinus Alostensis Truncinij Dominus; huic vxor Oda. Illi Robertus Flandriæ Comes abstulit Truncinium. Filius Balduino ex Oda fuit alter *Vide Meyerum an. 1082.*

a *Balduinus cognomento Crassus*, qui in obsidione Niceæ perijt lapidibus obrutus. Vxor ei *Reyneuuidis*, b secundum Lambertum Ardensem, probæ fidei & antiquum scriptorem, *Lutgardis de Grimberga.* Frater Rodulfus Gandensis, dictus de Alost, Flandriæ Cubicularius. Cui filij, Lanzo, Sigerus, nepos Michael, Ghyselbertus Rodulfi frater, Forestani, vulgò ter Vurst iuxta Bruxellam Cœnobij fundator, qui vxorem habuit Gertrudem, filiam N. de Bergis, filij putantur Wilhelmus & Ghyselbertus nepotes, Steppo, Albaldus 1164. Engelbertus Dominus de Petinghem, Gertrudis, vxor Arnoldi Ardensium Domini, alij volunt Arnulfi Bergensis. Leodegardis cum matre Oda Foresti fuit Religiosa. Filius *1097. 1100. a Meyerus 1082. 1127. b Fueri patur, vt eadem hæc mulier duo etiam haberet nomina; quanquam illa sæculo minus id fuerit vsitatum.*

c Balduini Crassi *Balduinus Gandensis*, Comes Alostensis, dictus Luscus & Gernobodatus, ob longam barbam. Vxorem habuit Machtildem, quam claris ortam natalibus dicit Lambertus Ardensis in sua Gisnensi Historia. Eius hoc est in Archiuis Affligemiensibus diploma: *c Vide Meyerum an. 1125. 1126.*

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Balduinus de Alost, & frater meus Iwan notum fieri volumus omnibus in Christo fidelibus: quod diuina, vt credimus, compuncti inspiratione de peccatis nostris; & considerantes, quam breues sunt dies hominis, reddidimus Ecclesiam de Herenbaldeghem in manus Episcopi ad opus Ecclesiæ Affligemiensis, pro redemptione animarum nostrarum, & patris nostri parentumque nostrorum: dedimus etiam eidem Ecclesiæ Affligemiensi duo curtilia Herenbaldeghem

baldeghem iuxta molendina iacentia; & duos mansos terræ, qui iacent ante portam ipsius, &c. Insuper allodium nostrum in Testrepa, quod necdum alicui in foedum assignauimus, eidem Ecclesiæ contulimus, cum omni iure libertatis, & Dominij, quo illud tenebamus, &c. Acta sunt hæc anno Domini. 1125.

Meyerus 1125. 1137. 1139. 1140. 1144. 1146. Du Tillet fol. 215. en son Recueil des Roys de France. Petrus Oudegerst. Lindanus, Marchantius, &c.

Iwanus, vel Iuo Gandensis, frater Balduini Gernobodati & filius Balduini Crassi, ex Reynewide, vxorem habuit *Laurettam,* Theodorici Elsatij Flandriæ Comitis filiam. Is exclusa nepte Comitem se Alostanum fecit. illius etiam nomine, vel tutoris titulo Castellanus fuit Gandauensis 1150. Soror Ada, vxor Dixmudani, mater Theodorici Dixmudani De Iwano & Lauretta hoc in Abbatia Messinensi legitur diploma:

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Philippus Flandriæ & Viromandiæ Comes cunctis fidelibus in perpetuum, &c. Nouerint tam posteri quam moderni, quod Iwanus de Gandauo, & vxor eius Lauretta, soror mea, dederunt in eleemosynam per manus Theodorici Comitis Flandriæ, patris mei, Ecclesiæ Mecinensi terram suam iuxta Comines, quæ appellatur Ploits, cum omnibus pertinentiis suis, præter homines feodarios. Sicut igitur mihi innotuit id esse verum, tam viua voce patris mei & hominum meorum, quam scripti authoritate, eius sigillo muniti, &c. Datum Brugis anno Domini 1176.

Aliud in Archiuis Truncinienfibus.

Aub. Miræus Cod. Donat. fol. 296. cap. 94.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Iwanus de Gand; quoniam plurima, nisi scripta fuerint, à memoria elabuntur, & reuolutione temporum in obliuionem rediguntur, necesse est litteris notari, quod postmodum expedit reminisci. Notum igitur facio tam futuris, quam præsentibus, quod allodium meum in villa, quàm Burst vocant, seu

quid-

quidquid iuris inibi erat, excepta mancipatione seruorum, ab omni nostra vel laica potestate omni modo mancipatum, pro amplificando Dei nominis & laudis honore, ad vsum fratrum Trunchiniensis Ecclesiæ, Pramonstratensem Ordinem profitentium, Deo, sanctæque Mariæ Genitrici suæ, perpetuæ Virgini, quæ loco præfato præsidet, liberè tradidi, vna cum vxoris meæ Laurettæ, filiæ Theodorici, cui, quæcunque nostræ possessionis erant, in dotem dederam, gratuita concessione, & deuota petitione, & ipsum sub præsentia & manu Domini Goswini, fratribus suis coram positis, super sacrum altare Trunchinis manu propria obtuli, &c. Actum Trunchinis anno 1139. Indictione 2. Epacta XVIII. Concurrente VI. Kal. Octobris.

Theodoricus Gandensis, Iwani ex Lauretta Flandrensi filius, Dei gratia Dominus & Princeps Alostanus, vxorem habuit *Laurentiam*, Balduini Comitis Hannoniæ filiam. Is cum nullam haberet sobolem, Philippus Elsatius Comitatum Alostensem, nequidquam reclamantibus propinquis ac hæredibus, adijt. De Laurentia ita F. Iacobus de Guisa:

Vide fratrem Iacobum de Guisa in Hist. Hannoniæ parte 3. lib. 17. cap. 1.

Laurentia, quæ erat tertia filia Balduini, desponsauit Theodoricum Comitē de Allost, sed mortuus est sine hærede. Quæ Laurentia, post mortem mariti, ad domum Balduini patris sui reuersa est, & mansit in viduitate vsque ad mortem patris. Tandem maritata fuit Domino Bouchardo de Montmorency, de qua ipse suscepit filium vnicum, vocatum Matthæum, qui postmodum notabilis miles exstitit, & famatus.

Meyerus ad ann. 1166. XII. Kal. Maij obijt absque liberis Theodoricus filius Iwani Alostensis, Theodorici Comitis ex filia nepos; cuius vxor Laurentia, filia Balduini Comitis Hannoniæ, ad patrem redijt, quæ nupta deinde Bocardo Montmorenciaco, &c.

Comitatus Alostensis ad Comites Ghisnenses, familię Gandauensis, debuit redijsse de iure per Beatricem Broburgensem, vxorem Arnoldi Comitis Ghisnensis, filij

 Balduini;

Balduini; quæ neptis fuit Beatricis Alostensis & hæres Balduini à Gandauo, qui Luscus fuit dictus, & Gernobodatus. Occupauit eum nihilominus Flandriæ Comes. Cum quo hanc ob rem tertio conuentum fuit; ac vltimum anno 1231. à Balduino Comite Ghisnensi cum Ferdinando Lusitano Flandriæ Comite. Litteræ sunt in Archiuis Comitis Gandaui.

Iuvanum de Gandauo, patruus Beatricis occupauerat; & post mortem Theodorici filij eius ad Comitem Flandriæ Philippum ex pactis quibusdã ditio Alostana peruenit.

Lambertus denique quartus à quibusdam Arnulfi Gandauensis, & Lietgardæ filius constituitur. At quæ extra controuersam posita sint, & omninò certa eius rei adferre argumenta hactenus nobis inconcessum. Non lenibus tamen de caussis inducimur, id vt credamus. Cum enim contemporaneus filijs Arnulfi Comitis Gandauensis fuerit, frater eorum vel esse potuit, vel patruelis & consanguineus: cum ordinarium etiam fuerit minores familiæ habere partes & titulos Aduocatiarum. Qualis & hic exstitit nomine, & bonis. a Lambertus autem primum se Castellanum Gandauensem vocitauit, quasi eam dignitatem à Balduino Flandriæ Comite hæreditario iure possidendam adeptus foret. Castellanus quoque in vita S. Macarij per b Bertulfum coætaneum auctorem scripta appellatur anno 1010. A Meyero etiam dicitur anno 1011. Senator. Nominatur & Aduocatus Blandiniensis, & pater Folcardi anno 1026. Huius rei in Blandinio exstat diploma. Ab hoc igitur reliqui longâ serie Castellani. Vixit per hæc tempora Rengotus de Ganda, quem fuisse primum Teneramondæ Dominum non vanè suspicamur. Fuit in fundatione S. Petri Insulensis 1055. secundum Meyerum 1066. à quibusdam putatur etiam titulo Castellani Gandauensis vsus.

a De Lãberto vide Meyerum anno 1046. Petrum Oudegerstum cap. 39. Annalium Flandriæ eodem anno.

b *Vixit Bertulfus an. 1040. Ita quidam. Apud Surium tamen Tom. 2. decima Aprilis narratur iussu Sigeri Abbatis scripta vita S. Macarij, nomine auctoris non apposito.*

vsus. Sed alius à Gandauensi fuit Rengotus anno 1087. Castellanus Insulensis. Exstat in Trunchinio diploma, quo Robertus Flandriæ Comes bona Trunchiniensium eximit. Actum in Ecclesia Islensi. Inuenitur & Rengoti Gandauensis alia mentio anno 1063. in fundatione monasterij Eynhamensis, & ibidem anno 1064. Quando autem hæc Castellania facta fuerit, scire operę pretium est. & licet omnes fateantur factum id esse bellis Comitis Flandriæ contra Imperatorem gestis; diuersis tamen id euenisse temporibus auctores narrant. Chronicon Bauonense tempore Arnulfi veteris, Meyerus sub Balduino Insulano. Quare ad conciliandos, quãtum possumus, auctores illos, diuersas fuisse occupationes castri Gandauensis conijcimus. Vnam sub Arnulfo non vetere, sed iuniore & magno Principe; qui plures habuisse terras dignoscitur in Brachbanto. Vide Diuæum. Vel, quod magis arridet: sub Balduino Barbato circa annum 1000. qui & tunc temporis Valencenas, & alia ad Scaldim sub mortem Ottonis tertij occupauit. Vide Baldericum, & alios. Tum vero amisso Castro Gandauensi receperunt se Comites in Alostum. Et qui prius Gandauenses dicti Comites, prima sede & Dominio Comitatus Gandauensis amisso, retento nihilominus & ad posteros transmisso cognomine Gandauio, Comites & Domini Alostenses, Principes etiam dicti fuerunt. Verum anno 1006. Henricus Imperator, cum in Flandros crudum & acre bellum mouisset, anno sequenti Gãdauum inuasit, aliosque Castri Pręfectos constituit. Sed cum eodem anno Comes Flandriæ Gandauum dè nouo occupasset, idq; potissimum industria & ope Lamberti, in hęreditatem familiæ suæ (vt creditur) redire cupientis, etiam paulo post inter Cæsarem & Flandriæ Comitem

Rengotus frater creditur fuisse Folcardi. Vide Lindanum, & P. Buzelinum in Historia Galloflandrica.

Exstant Tituli in Archiuis Afflighemiensibus

tem inita est concordia: & restitutis Cæsari Valencenis, illi, propter aliquod videlicet imperiale feudũ, Comes mansit obnoxius. quod fuisse Castrũ Gandauense commoda ratione asseritur: cum enim non ita diu post, eidem Flandriç Comiti à Cæsare Valencenæ, imò & ipsa Walachria restituta sit, nemo mirabitur, si ab eodem Cæsare antea Gandauum cum suo Castro Comes impetrarit. Et licet hic in Lamberto militiæ merita non attendisset, vel eo solum respectu, quod ipsum è primis Castri Gandauensis Dominis & Comitibus nosceret, Castrum cum magna eorum, quæ prius subiecta habuit, portione tradiderit. In diplomate etiam (quod ante paucos annos in Archiuis Blandinij visum viri fidem meriti narrant) an. 1037. vti testes signant Comites *Henricus, & Lambertus, fratres Theodorici iunioris Comitis.* Rodulphus, Gerardus, Hugo, &c. In illo Balduinus Comes & Marchisus Flandriæ, cũ vxore sua Adela, Roberti Cappeti filia, donat varia bona Blãdiniensi Ecclesiç. Lamberti filius fuit

Sub Abbate Columbano 1600.

Folcardus Castellanus Gandensis circa annum Domini 1072. Robertus Comes Flandriæ confirmat Abbati & Conuentui S. Petri Gandensis bona eis concessa à prædecessoribus suis. Inter testes sunt, *S. Roberti Marchisi; S. Folcardi Castellani Gandensis, S. Lamberti filij eius, S. Alardi fratris eius, S. Balduini, S. Eustachij, S. Hugonis, S. Arnulfi filij eius. Actum anno* 1072. Idem Folcardus interfuit translationi Reliquiarum S. Pharahildis sequente anno. Vxor Folcardi fertur Landrada.

In Archiuis Blandiniensibus.

In Archiuis eiusdẽ Ecclesiæ.

Lambertus (Castellanus creditur) Gandensis filius Folcardi, vt è diplomate Roberti Comitis iam adducto patet. Creditur pater Wenemari. Vti enim Folcardus in eodem diplomate filium suum Lambertum, ita Wenemarus auum suum Folcardum vocat in Titulo sequenti.

Non

Non reperitur tamen hactenus, vbi se Castellanum indigetet; & sic credimus eũ ante patrem obisse, & nepotem Wenemarum postea Castellanum fuisse; nisi parentum aliquis (qualis è Lindano putatus fuit Balduinus in donatione villæ Arkensis, vbi tamen se solum Gandauensem, non item Castellanum nominat) tutorio nomine Castellaniam administrarit.

Vixit an. 1088. ex Archiuis Foresti prope Bruxellã & 1133. ex Archiuis Blandinij, & 1136. ex Lamberto Ardẽsi in Historia Ghisnensi.

a *VVenemarus* Folcardi nepos, & , vt putatur, Castellanus Gandauensis, D. de Bornehẽ, duas habuit vxores. Prima fuit *Lutgardis*, altera *Gisla*, filia Balduini Comitis Ghisnensis. De hac sic Lambertus Ardensis: *Ghislam verò postea vxorem habuit viribus vir inclytus, & genere Gandauensis oppidi Castellanus nomine VVenemarus.*

b Gertrudis, vxor Roberti Hierosolymitani Comitis Flandriæ, fundat vnam præbendam in Ecclesia S. Walburgis Furnensis, & iungit eam alijs quatuordecim prębendis ibidem fundatis. Testes Arnulfus Morinensis Ecclesiæ Archidiaconus cũ Canonicis suis, &c. *Praterea de Primatibus terræ Euerardus Tornacensis & frater eius Hugo Cameracensis, Onulfus Dapifer, VVynemarus Castellanus Gandensis, Castellanus Bergensis Robertus, &c. Actum est in Basilica Furnensi publicè anno ab Incarnatione Domini 1095.*

b In archiuis Ecclesia S. VValburgis Furnensis.

VVenemarus Castellanus Gandensis Ecclesiam apud Bornehẽ, &c. cum membris suis, &c. libertate donat, quemadmodum ab auo suo Folcardo sub banno confirmatum erat, &c.

In Archiuis Affilg. Vide & Lindanũ in Bornhemo.

c Balduinus Comes Flandriæ dat vnã Eleemosynariam prębendam Ecclesiæ Formoselensi, vbi inter alios testes Wenemarus Castellanus Gandensis anno Domini 1117.

c In archiuis eiusdẽ Ecclesia.

Wenemarus subscribit litteris Theodorici Comitis Flandriarum, de redditis partibus decimæ de Ritnengis à Comite in feodo mouentibus per Danielem de Teneramonda.

In Archiuis cœnobij Marchianẽsis. 1135.

Pro parte, quia forsan pater eius Lambertus obierat ante annum Folcardum, vel partiri voluerat. Ex registro Ecclesiæ Cameracēsis a *Post hūc Castellanus inuenitur Ivvanus de Alost, ex familia Gādauensi, & post illum Rogerius Cortracensis. De quo mox.* b *Meminit Meyerus Obiit circa an. Domini 1169. Lāberto Ardēsi teste.*

Sigerus Castellanus Gandensis, filius secūdo genitus Lamberti Castellani, quam habuerit vxorem hactenus nō inuenimus. Filia fuit illi *Alicia de Gandauo*, quæ nupta *Hugoni Inkers militi*, quod è sequenti diplomate patet.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit tam futuris quam præsentibus, quod quidam miles nobilis, nomine Hugo Inkers, sortitus in coniugium filiam Sigeri Castellani Gandensis, nomine Aliciam, ac per eam Castellum Gandense, ac officium, & patris ipsius hæreditatem & allodium, &c. Quam Castellanus VVenemarus, & Sigerus frater eius Castellanus, &c. Actum est hoc anno Domini 1139.

Reperitur & idem Sigerus testis in quodam diplomate Balduini, Flandriæ & Hannoniæ Comitis, quod concernit quosdam prouentus & iura Præpositurae Noui Castelli, &c. *S. S. de Gant. R. de Gauera, &c. Actum Cortraci coram hominibus meis de Flandria anno gratiæ* 1129.

Alicia hæc secundis nuptijs iuncta fuit Stepponi, dicto de Bornhem, quem existimamus fuisse Stepponem de Alosto, viduum Margaretæ de Ghisnes.

a *Viuianus Castellanus Gandauensis* reperitur in Trunchinio 1156. & alibi. Creditur Sigeri filius, vel è filia nepos.

Comites Ghisnenses è familia Gandauensi.

A*Rnoldus*, b *siue Arnulfus Gādauensis*, Wenemari Castellani filius, vxorem habuit Mathildem, filiam Castellani Audomarensis. Fratres eius fuere *VVenemarus, Sigerus, Balduinus*, à Liskensibus occisus, *soror Margareta, vxor Stepponis militis Gandauensis.*

Wenemarum siue prole defunctum putauit Lindanus, & alij quidam. Forte quia in familiam Ghisnensem stirps eius transijt, nomenque & arma Ghisnensia sequentes è sanguine Gandauensi Comites assumpserunt. Fuisse autem Arnoldum hunc Wenemari Castellani filium,

filium, & territorij Ghisnensis Comitem constat tum è diplomatis varijs, tum è Chronico Abbatiæ Andernensis, quod olim à Gulielmo (vixit anno 1211.) eiusdem Abbate conscriptum in membrana exstat in possessione Collegij Societati IESV Bergēsis. Ibi f. XLIX. sic loquitur: *Arnoldus Gādensis VVenemari*, scilicet Castellani, *filius, cuius idem Comes Manasses fuerat auunculus, quique ab ipso Comite* (Philippo videlicet Elsatio.) *villam & Castellum de Tornehem, & omnia eius appenditia ipso viuente iure feodali fuit adeptus, &c.*

Idem fol. L. *Cuius auxilio contra Arnoldum Gandensem supra memoratum, huius Ghisnensis territorij Comitem, & contra filium eius Balduinum, in eodem Comitatu hæredem, & successorem, ita se strenue habuit, &c.* Vide & Lambertum Ardensis Ecclesię Canonicum, probatissimę fidei auctorem. Nam in illo tractu circa annum Domini M. CC. vixit, & rebus gestis sæpe interfuit, & historiam suam Arnoldo cuidam Comiti Ghisnensi dedicauit.

a Ad cæteros vero longa serie Ghisnenses, è sanguine Gandauensi Comites, cum quantum possum, breuitati studeam, non procedo. Sufficiens hic enim mihi labor erit, neque opera inanis, si non adducta eorundem Ghisnensium Comitum sequela, seriem tantum Gandensium Castellanorum, etiam ab Arnoldo Gandauensi, Ghisnensi Comite, in recta linea masculina venientium, adduxero, titulisque certis, & scriptorum grauium auctori-

a Andreas du Chesne en l'Histoire des Roys. Duc, & de Bourgoingne l. 3. ca. 71. ita loquitur, Baudouin premier Cōte de Ghisnes, & Adele, sur-nommee Chrestienne, son espouse; il eut pour freres Robert, dit Manasses, Conte de Guines, Foulquez, Conte de Baruth en la terre Saincte, & Hugues Archidiacre de Teroane, lequel prist depuis les armes. Ses soeurs furent Adelus de Guines, qui par le moyen de Geofroy, Euesque de Paris, frere d'Eustace, Conte de Bologne, son cousin espousa, Geofroy Seigneur de Semur en Brienois, dont elle eut Geofroy Seigneur de Semur, vn des plus vaillants Cheualiers de toute la Bourgoingne, & Gisle de Guines, femme de VVinemar Chastelain de Gand, qui procrea d'elle Arnoul, VVinemar, Siger, Baudouin, & Margriete de Gand.

ctoritate confirmato. De Ghisnensibus autem opus plenum molitur Andreas du Chesne, vir egregius, & quo non præstantior alter in Genealogijs contexendis, hac tempestate inuenitur. A Ghisnensibus venerunt etiam Domini de Coucy, eminens & opulenta olim, in Gallia præsertim, familia. Ampliter eam rem diducit idem Andreas du Chesne lib. 8. cap. 3. historię de Chastillon: vbi dicit, quod Arnoldus Comes, ducta vxore Alicia de Coucy, filia Engerrani tertij Domini de Coucy, & Marię de Montmirel Dominæ d'Oisy, filios habuerit Balduinum, Engerranum, & Ioannem Vicecomitem Meldensem. Hic Engerranus primus nomen & arma familiæ de Coucy assumpsit; quod ab eius quoque posteris obseruatum est. Duxit hic Engerranus Christianam de Bailloeul, filiam Thomæ, & neptem Ioannis Regis Scotiæ. Tantus enim huius familiæ splendor fuit, vt adfinitates & matrimonia cum maximis Europæ Principibus contraxerit. Cuius rei titulos, & testimonia passim in scriptis suis grauissimi auctores adferunt. Videndus in primis Franciscus de Alouette Gallus, qui de Couciaca familia volumen accuratum, & è professo scripsit. Videndus & Froissardus, auctor celebris & fidei probatę, Tom. 1. fol. 160. item fol. 209. verso, veteris editionis Parisiensis, ad annum 1530. & alijs in locis, qui varia de Engerrano, prioris Engerrani nepote, & honorifica narrat. Idem Tom. 1. fol. 81. verso ita loquitur: *Et là vindrent deuers le Roy le Duc de Lorraine, & Messire Henry de Bar à belles gens d'armes. Le Duc de Lorraine fut ordõné à estre auec son fils le Sire de Coucy, & Messire Henry de Bar demoura de lez le Roy.* Videndus item Ioannes de Tillet Chap. De la seconde branche de Bourgoingne. Meyerus varijs in locis, Scæuola San Marthanus Tom. 1. lib. 8. cap. 18. Pontus

Vide du Chesne li. 6. c. 7. & in volumine probationum supradictæ Historię fol. 166.

tus Heuterus in rebus Burgundicis, Nicolaus Vigner Historiæ Luxemburgensis cap. 37. Belleforest Tom. 2. lib. 5. cap. 69. fol. 125. Ludouicus denique Gollut lib. 10. cap. 14. fol. 645. qui omnes, præter alios à me hactenus non visos, eximia multa, & præclara de Couciacis heroibus in annales, & historica monumenta retulere. Vnum verò hic præ cæteris, inter huius ornamenta familiæ summum, præterire non debeo. Engerranum nẽpe Couciacum anno 1338. sub Philippo Pulcro, Gallorum Rege (cuius etiam studio & opera res ea contigit) Catharinã, Leopoldi Austriæ Ducis cognomento Strenui filiam, duxisse vxorem. Quod hactenus de nulla, quantumuis illustri Principum, qui quidem superiorẽ alium agnoscunt, familia legimus. Vide du Tillet, apud quem contractus connubialis exstat.

Verum nũc operæ pretium erit hic pauca de Rogerio Cortracensi, qui se quoque Gandauensem Castellanum scripsit, priusquam ad alios procedamus, in medium adferre.

Rogerius itaque Cortracensis, Margaretam, Arnulfi filiam, coniugem nactus, ea conditione, vt, quamdiu viueret, Castellani Gandauensis officium teneret, vt Arnoldo spoponderat (*quod & verbo & opere firmauit*) eo titulo frequẽter vsus est, & se Castellanum quoque Gandauensem scripsit. Exstat Ipris in Archiuis Morinensibus titulus Theodorici Comitis Flandriæ 1151. Signat Arnoldus Comes Ghisnensis, & Rogerius Castellanus Gandensis. Anno 1150. idem se vocat Castellanum Cortracensem. Anno 1153. in Archiuis Afflighemiensibus vocatur iunctim Gandensis & Corturiacensis in titulo quo-

Narrat Lamb. Ard. in terminis hic positis Theodoricus Princeps Flãdrẽsis Castellaniam Vicecomiti Rogerio commisit habendam, quam postea in pace degens Arnoldus Comes, vt filiam suam duceret in vxorem Margaretam, &, quamdiu viueret, in pace tenere spopondit.

quodam Theodorici, quem præ manibus habui. Sed nequisquam propterea hunc Rogerium existimet de familia Gandauensi esse, & eadem nomina, eodem licet tempore, à diuersis tamen personis, & diuersę stirpis gesta confundat, hanc cautelam damus. Rogerius siquidem Cortracensis, præter filium suum natu maiorem, hæredem, & successorem suum in Castellania Cortracensi, alterum habuit filium nomine Sigerum. Patet è diplomate quodam; *vbi Philippus Comes Flandriæ & Viromandiæ, fidē faciens Rogeriū Castellanum Gandensem, & Sigerum filium eius, & Sigerum de Gand, testes interfuisse cuiusdam altercationis decisioni, quæ erat inter Gerardum Abbatem S. Petri in monte Blandinio Gandaui, & nobilem virum Gerardum de Roden, pro exactione Thelonei, quam Gerardus de Roden de nauibus ipsius, & hominum eiusdem Ecclesiæ iniustè recipiebat, &c. Actum anno* 1180. Vbi expressione cognominis de Gand patet, Sigerum illum non fuisse Rogerij filium. Legitur & alius titulus: vbi Balduinus Flandrię Comes ad petitionem Rogerij Castellani Cortracensis, confirmat donationem viginti solidorum quotannis, quos de Comite Balduino tenebat in feodum apud Cortracum, factam olim à patre suo Ecclesiæ de Harlebeke. Vbi à Comite vocatur illustris Castellanus anno 1198. in eo Titulo Rogerius filius Rogerij, & Margaretæ antedictę, tantum scribitur Castellanus Cortracensis, & prędictus Sigerus de Gand Castellanus Gandensis. quia sororis suæ Margaretę maritus tum obierat, & eius morte in titulum Castellani successerat, ex conuentionibus ante factis, vti fusius Lambertus Ardensis narrat. Cæterum *Sigeri frater natu maior Balduinus, Arnoldi de Gandauo filius*, pro hæreditaria portione Comitatum Ghisnensem, cum pluribus alijs bonis habuit. a Wilhelmus Flandrinam duxit,

Ex Archiuis Cœnobij Blandiniensis.

a *Vide du Chesne lib. 3 fol. 52. quem scilicet VVilhelmum de*

xit, Hugonis Comitis S. Pauli filiam. Manasses, etiam Sigeri frater, sine liberis, & postremus denique Arnoldus, in adolescentia obiere. Quare si quando in varijs diplomatis, etiam eiusdem temporis, aliqui se Castellanos eiusdem loci vocent, non ideò tamen eos eiusdem dignitatis proprietarios fuisse possessores arbitrabimur: vel enim tutorio nomine esse potuerũt, cum proprietarius adhuc pupillus esset, vel alia certè conuentione, & respectu titulum illum assumpserunt. Nullus siquidem vel mediocriter in Annalibus, & Genealogicis præsertim historijs versatus ignorat, multos natu minores Castellanorum filios & fratres, aliosque ab ijs, qui hæreditarias dignitates & officia possidebant, originem habentes, earundem dignitatum titulis frequenter vsos fuisse. Vt in Castellanis Insulensibus, alijsque contigisse videmus. Et quemadmodum Comitis nomen (quod olim tam officij, quam honoris erat) commune multis fuit; ita Castellani titulus, illis licet temporibus hæreditarius, & primogenitis alioquin pro principaliori honore, non tamen totali bonorum portione, debitus, à minoribus natu etiam fuit vsitatus.

Sed nunc ad alios Arnulfi Gandauensis Comitis Ghisnensis filios, & Balduini primogeniti fratres, redeamus. Itaque secundo genitus fuit Wilhelmus vocatus de Ghisnes; vxorem habuit *Flandrinam*. Tertius denique Arnulfi filius *Manasses*, sine liberis defunctus. *Arnoldus* quintus, sed ad alios etiam iuuenis iuit, vt ante attigimus. Quartus verò, de quo hic agendum præcipuè, fuit Arnulfi filius, nepos Wenemari,

Castella-

Guynes, filium Arnoldi de Gãdauo, Comitis Ghisnensis, vocat, ex Mathilde, filia Castellani Audomarensis Guilielmi. Iwanus de Alost hic creditur filius Stepponis de Bornhẽdeck mariti Aliciæ, forsan ex priore coniuge Margareta, scribitur Castellanus Gandauensis 1150, in blãdinio. à Vide Lãbertum Ardensẽ.

Castellani Gandauenses.

Post obitũ Rogerij Cortracensis, qui ad vitam eam habuerat dignitatem vsque ad an. 1190. Castellaniam Gãdauẽsem, Dominiũ de Bornhem & alia bona adijt Sigerus, prȩmortuis fortsan Gulielmo & Manasse, fratre tamen suo Balduino natu maiore superstite. a Margaretã autẽ hãc fuisse

SIgerus Castellanus Gandauensis Dominus de Bornhem. Vxor ei fuit *Petronilla de Courtray, filia Rogerij*, ex prima vxore Sara, *non Cociacensis*, (vt Lindanus ex hac vocum similitudine facilè in errorem lapsus) *sed Cortriacensis*.

Philippus Comes Flandriæ emit omnia feuda, & alias possessiones, & bona Arnoldi van Dunck, & Lamberti fratris eius in villa de Moorsele, & eadem donat omnia a Margaretæ Castellanæ de Cortraco, ipsoque ac marito eius R. Castellano, ac liberis eorum, & Sigero de Gandauo consentientibus, conceditur, vt eadem Margareta libere bonis illis tanquam proprijs potiatur. Anno 1187.

Originale diploma Teutonicè scriptum exstat in Monasterio de Weuelghem iuxta Cortracum.

b *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Sigerus Castellanus de Gandauo tam futuris, quam præsentibus in perpetuum. Quoniam facile quidlibet à mentibus hominum elabitur, nisi scripti beneficio ad memoriam reuocetur, dignum duximus scripto committere, quod Dominus Philippus Flandriæ, ac Viromandiæ Comes contulit Ecclesiæ B. Mariæ de Loz, quandam terram, quæ dicitur Mur, & quæ nostri iuris esse dicebatur. Nos verò sperantes summam remunerationem, quidquid iuris nostri esse dicebatur, liberè, & absolutè prædictæ Ecclesiæ concessimus, adstante vxore nostra Petronilla, & filijs nostris legitimis Sigero, & Daniele assensum præbentibus: Insuper bonarium prati nostræ proprietatis, quod Castellani pratum vocatur, vxore nostrâ, & filijs nostris prædictis, quasi de prædicta terra benignè assensum præben-*

Comitis Ghisnensis filiam probat etiam Gramaiutin Cortraco. idem patet ex obituario Ecclesiæ de VVeuelghem. b *In Archiuis Abbatiæ Laudensis iuxta Insulas.*

præbentibus, ſupradictæ Eccleſiæ; pro anima & vxoris noſtræ, & filij noſtri Arnulſi, & prædeceſſorum noſtrorum hilariter contulimus. Actum anno Dominicæ incarnationis 1190. *regnante Philippo Rege Francorum.*

Creditur itaque Sigero fuiſſe filius natu maior *Arnulfus*, ſed qui ante patrem obierit etiam ſine liberis. Eius vxorem *Mariam* volunt aliqui fuiſſe filiam *Hugonis d'Engien*, cuius mater erat Ioanna Luxemburgica.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Notum ſit vniuerſis Chriſti, qui litteras iſtas ſunt viſuri vel audituri, fidelibus; quod ego Sigerus Caſtellanus Gandenſis, & vxor mea Petronilla; conſentiente & concedente Sigero filio noſtro, & reliquis filijs noſtris, in Groda, quam Afflighemenſis Eccleſia habet apud Frouendic, quinque menſuras terræ, ab omni decimatione, quæ nos de iure contingebat, eidem Afflighemenſi Eccleſiæ, & fratribus in ea Domino famulantibus, quas ſibi in hæc ipſum ijdem fratres elegerunt, intuitu diuinæ retributionis liberas dimiſimus, &c. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1198. *In Archiuis Afflighemienſibus.*

Huic diplomati adpendebant ſigilla tria. Primum, quod Sigeri Caſtellani erat, equitem armatum referebat, cui gladius in manu dextra, ante pectus ſcutum, in quo ad oculum apparebant arma Ghiſnenſia, cum hac inſcriptione; *Sigillum Sigeri Caſtellani Gandenſis.* Alterum fæminam oſtendebat, manu ſiniſtrâ gerentem lilium; cum hac inſcriptione, *S. Petronillæ Caſtellanæ Gandenſis.* In tertio denique, quod filij erat, etiam eques videbatur, in cuius manu gladius, & oppoſitum pectori ſcutum; quod inſignia familiæ Gandauenſis (prout ea Caſtellani, & reliqui ab ea deſcendentes gerunt) exprimebat, cum hac inſcriptione; *Sigillum Sigeri Gandauenſis.* *Originale diploma vidi, cum alijs pluribus, vbi quatuor ordine Caſtellani memorantur, cum ſigillis appendentibus in eam formam, qua hic deſcribuntur.*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ego Petronilla, vxor quondam nobilis viri Sigeri Caſtellani Gandenſis, *Ibidem.*

Cc *notum*

notum facio tam modernis, quam futuris Christi fidelibus, qui hanc paginam sunt visuri; quod Dominus Robertus Abbas Affligemiensis, decimam quandam in parochia Anderlectensi à viro nobili Oliuerio de Sottenghem, consensu, Capituli de Anderlech, pignori accepit pro centum & septuaginta libris, Flandrensis moneta. Quas de fructibus decimæ de Thielt, & Ruselede annuatim collectas hic oportunitate acceptâ Deo obtuli, pro anima mea, omniumque prædecessorum meorum animarum salute, &c. Inter alios testes Theodoricus, Walterus, filij eiusdem Petronillæ, Rogerius de Cortriaco, &c. Acta sunt hæc anno Domini 1215.

De hoc Sigero Iacobus Guysius in Annalibus Hanoniæ parte 3. lib. 18. cap. 53. *Interim Sigerus Gandauensis Castellanus, qui in Flandria magnam parentelam, atque homines multos, & diuitias habebat, custodiam Castri Gandauensis, quod Philippus Comes Flandriæ, ad reprimendam hominum Gandauensium nimiam superbiam construxerat, reclamabat; dicens de Castellania sua esse. Comes autem, qui in terra Flandriæ nondum satis radicatus erat, & ne Sigerus de eo conqueri posset, in recompensationem custodiæ ipsius munitionis, libratas terræ ei assignauit. Sperans ab illo, & eius filijs, magnum vlterius, ac seruicium fidele habere, & ne in aliquo videretur iuri contraire, &c.*

Anno Audiamus & Meyerum: *Consurrexit & Sigerus Gandensis, vir admodum locuples, & amplæ cognationis, Arcemque*
1191. *Gandauensem, contra ciuium, vt ferunt, superbiam, ab Elsatio Philippo munitam, sibi, suisque liberè retinere contendebat, &c.*

Ex quibus liquet, quod Sigerus hic filius Arnulphi Gandensis Comitis Ghisnensis, fuerit Castellanus Gandauensis anno demum 1190. nam anno 1187. tantum se scribit Sigerum de Gandauo: sororius enim ipsius Roge-

Rogerius Castellanus Cortracensis munere Castellani fungebatur à parte Theodorici Comitis Flādriæ; & post ex pactis cum socero suo Arnulfo Comite Ghisnensi, prout hic ante narrauimus.

Sigerus Castellanus Gandensis, filius Sigeri prædicti ex Petronilla Curtracensi, Dominus de Bornehem. Vxor huic fuit Beatrix, quam aliqui Bethuniensis familiæ, alij Burburgensis fuisse asserunt.

Frater huius Sigeri fuit Daniel, ex quo familia de Claerhout. Cuius Rogerium alij auctorem faciunt. Circa annum 1241. signat Rogerius de Claerhout in Bodelo.

Soror Sigeri Petronilla prima Forestensis Abbatissa fuit, &c. Forestum, vulgò Ter Vurst, Monasterium est Virginum Ordinis Cisterciensis Bruxellæ vicinum, à Ghiselberto Comite Alostano Balduini secundi fratre fundatum.

Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Sigerus Castellanus Gandensis dedi Monachis de Bornehem in eleemosynam duo sistaria siliginis, & duo sistaria auena, &c. Vt faciant annuatim anniuersarium meum, & matris meæ Petronillæ, & vxoris meæ Beatricis, &c. Hoc concessit Hugo primogenitus filius meus, & Sigerus filius meus, &c. anno Domini 1218. *In Archiuis Affligem vidi originalia, vt hic describuntur.*

His litteris bina sigilla appensa duos exhibebant equites; primum, quod patris erat, sustinebat leo, & contra sigillum filij expansis alijs aquila.

In nomine Patris & filij & Spiritus Sancti. Ego Sigerus Castellanus Gandensis, omnibus præsentem paginam inspecturis in perpetuum notum facio, tam modernis, quam posteris: quod duodecimam garbam decimæ de Hingen, & Hauckesdonc dedi in eleemosynam, pro animabus omnium prædecessorum meorum, ac *Ibidem.*

mea ; & vxoris mea Beatricis, &c. Actum anno Domini 1223.

Andreas du Chesne in Hist. de Vergy fol. 136. 137.

Hugo Castellanus Gandensis Dominus de Houdain, Bornehem, filius Sigeri ex Beatrice. Vxor huic fuit Oda filia, & præcipua hæres Odonis Domini de Champlite, ex familia de Champaigne, qui frater fuit natu maior Gulielmi de Champlite vice-Comitis Diuionensis. Hic Hugo, consentiente vxore, vendidit anno 1228. dimidium vrbis de Channite, vel Champlite, in Burgundia Gulielmo de Vergy pretio septem millium ducentarum librarum Parisiensium.

In Archiuis de Rupelmõda, iam in Castro Gandauensi à Cæsare Carolo condito.

Hugo Castellanus Gandensis Dominus de Hosdinio agnoscit, quod Castellum suum de Bornehem tenet in feodum Comitis Flandriæ. Litteris anni 1229.

a Robertus Aduocatus Atrebatensis, Dominus Bethuniæ & Teneramondæ, confirmat quędam promissa per Hugonem Castellanum Gandensem, Dominum Hosdinij, quem vocat consanguineum suum charissimum, de non amplius talliando homines suos feodatos in terra Wasiæ manentes. Litteris anni 1234.

a *In Archiuis de Bodelo. Ibidem.*

Ego Oda Castellana Gandensis, & Domina de Hosdinio. Notum facio vniuersis, tam præsentibus, quam futuris, quod Dominus, ac maritus meus H. Castellanus Gandensis, ac Dominus de Hosdinio, cum recognouisset se, patremque suum, homines eorum feodatos manentes in terra VVasiæ talliando siue precando minus iustè, quam sæpius aggrauasse ipsos, & successores eorum, ab omni tallia, siue precaria quitos, & liberos in perpetuum clamauit, &c. Promisit etiam, quod nec eos, nec successores eorum de cætero talliaret, nec talliare posset: nisi ad nouam militiam senioris filij sui, vel ad matrimonium filiæ suæ primogenitæ, & ad redemptionem suam ; si contingeret ipsum in communi guerra Domini sui captiuari, & non nisi per pecuniam liberari, &c. Actum ab

ab ipso Castellano anno Domini 1232. *mense Maio. Datum vero litterarum mearum anno Domini* 1233. *mense Februario.*

FratresHugonis fuere: *Gerardus cognomēto Diabolus*, cuius vxor fuit *Elisabetha*. Ambo sepulti in crypta Ecclesię S. Bauonis Gandensis. *Sigerus* frater secundus, à quo familia Sigerorum, qui Castellani & Præfecti fuere Insulenses. Eius filius itidem Sigerus vxorem habuit Margaretam, Ludouici Maleani Flandriæ Comitis filiam notham. Sigerus Hugonis frater scutum adhuc fert Ghisnense. Vt videre est in Archiuis Episcopij Gandauensis. De Gerardo hæc inuenimus.

a *Gerardus, filius Sigeri Castellani Gandensis, restitutionem dāni factam à Sigero patre suo Ecclesia de Bornehem in Cortlande suo testimonio confirmat. Anno Domini* 1227.

b *Gerardus de Gandauo miles, dictus Diabolus, mense Iunio decimas in parochiis d'Arteuelde, de Caprich vendidit Domino Nicolao de Brugis in vsum Cathedralis Ecclesia Tornacensis.*

c *Hugo miles & Dominus de Steenlande, & Scouteta de Assenede, & Eglina vxor vendidere fratribus Ecclesia de Dunis, Cisterciensis Ordinis, omnem morum iacentem in parochia de Peerboom; & sunt littera venditionis munita sigillis eorum, & Domini Hugonis Castellani Gandensis, & Domini Sigeri patrui eius, & Domini Gerardi, cognomento Diaboli, similiter patrui, Castellani Gandensis.*

Recensetur & Hugonis frater Bernardus Præpositus d'Harlebeke. Lapis sepulcri ibid. maxima ex parte integer adhuc visitur, cum scuto familiæ. Facies insignium cōcaua olim ebore plena fuisse videtur, prout facies & manus defuncti apparent, quasi integræ. Is, vt in Archiuis eiusdem Ecclesiæ habetur, *tria bonaria terra ad Praepo-*

In Archiuis Insulis 1391.
a *In Archiuis Cœnobij Afflig.*
b *Ex Martyrologio Tornacensis refectorij.*
c *Ex Archiuis Cœnobij de Dunis.* 1241
Putarunt quidam Gerardū hunc Diabolum eūdem fuisse cum Gerardo Mauro quodam, qui vixit 1360. *quod fieri non potuit, cum Diabolus dudum ante mortuus esset.*

 situram

situram spectantia in perpetuum censum contulit III. *Hastrarum siliginis*, *&* III. *Caponum*, anno millesimo ducentesimo......

Sub hoc Hugone ad annũ circiter 1242. à Flād. Comite legibus quibusdã stabilita & priuilegijs ornata quatuor officia, Assenede, Bocholta, Hulstum, & Axela: in quibus cum pari ferè iure in omnibus concurrat cum Comite Castellanus, quanta fuerit dignitatis apparet. Cuius rei littera Originales in Arce Gandensi exstant.

Hugo Castellanus Gandensis Dominus de Hosdinio, Bornehem, filius Hugonis ex Oda de Champaigne, vxorem habuit *Mariam* Hannoniæ, dictam de Rodio, vulgò Reux, & antiquitus Rues. Quibus tres leones pro insignijs fuere à minoribus natu stirpis Hannoniæ assumpti. Vide Balduinum Auesnensem illorum temporum scriptorem.

Omnibus præsentes litteras visuris, *&c. Hugo Castellanus Gandēsis Dominus de Hosdinio, &c. quod ego præsente & cōsentiente vxore Maria legitimè & solenniter vendidi eleemosynæ Afflighemiensi duo bonaria*, *& circiter vnum diurnale*, *&c. Datum anno Domini* 1246. *mense Maio.* Vidi in Archiuis Afflighemiensibus cum sigillis, quorum vnum equitem ostendebat, cui in manu dextra gladius, in sinistra scutum pectori oppositum erat, cum insignijs Gandauensibus, & hac inscriptione, *S. Hugonis Castellani Gand. & Domini Hosd.* alterum fæminam equo insidentem, in cuius sinistra manu falco, cum hac inscriptione, *S. Mariæ Castellanæ Gandensis.*

Hic vendidit Margaretæ Comitissę Flandriæ Dominium de Bornehem anno 1250. consentiente vxore sua Maria, pretio 4520. lib. 12. sol. 7. den. Vide Petrum Oudegerstum.

Hugo Castellanus, Hugonis Castellani filius, obijt ante patrem, & nullam habuit vxorem.

Maria Castellana Gandauensis, filia Hugonis hæres, nupsit *Gerardo d'Engien, Domino de Sottengien*, filio Gerardi, & filiæ

liæ Gerardi de Viane, iuxta Gerardimontium, nepoti Sigeri Domini d'Engien, & filiæ hæredi Domini de Sottengien. Gerardum hunc ex familia d'Engien fuisse insignia passim ostendunt. Et quod certum sit maiores ipsius habuisse dominium de Sottengien, cum filia quadam Domini de Sottengien.

Nous Hues Castellains de Gand, Sires de Hoesdeng, faisons sauoir à tous, ke nos chiers & foiaules Iehans Briseteste Cheualiers, pour sen besoing, & pour son grand pourfit apparant, si ke commite chose fu à nos hommes ses pers, à vendut à l'Eglise de Harlebeke le tire de Griseperre, gisant en le parroche de Hulste, rentes, hostes, & Iustices, & les appendanches, & tout entierrement le fief de Griseperre, kil tenoit de nos, kil estoit de nofranc aluet de Odinghem. Et nos Marie femme à gentil homme Huon Castellain deuant dict, & nos Marie femme à noble homme Gerart, Seigneur de Sotenghem, fille & oirs à deuant dict Castellain, loons & greons toutes les choses desiere dites, tant ke à nos en atient, & promettons par no sairemẽt, ke nos ne venrons mie encontre & ke iameis en ches biens droict ne demanderons. A tesmoignage de ches coses auons nos Hues Castelains, & Marie no femme, & Marie no fille deuant dites ches presentes lettres donnees à l'Eglise de Harlebeke, saelees de nos saiaus l'an del Incarnation nostre signour 1284. an mois de Iuin. In Archiuis de Harlebeke. Appendebant his litteris tria sigilla. Primum figuræ circularis equitem exhibebat, cui in dextera gladius, in sinistra scutum, cum Insignijs familiæ Gandauensis, & hac inscriptione; S. Hugonis Castellani de Gand, & Domini de Hosd. Alterum figurę oualis Dominam ostendebat, à cuius dextro latere scutum minus, cum insignijs, de Gauera, tenebat manu sinistra scutum alterum, in quo videbantur insignia de Gandauo cum hac inscriptione: S. Marię Castellaine de Gand Dame de Houdain. Tertium etiam

etiam figuræ oualis, & in eo expressa fuit imago mulieris tenentis manu dextera scutum, cum insignijs d'Enghien, habentis in latere sinistro alterum, in quo apparebant insignia de Gandauo.

Ratio mutati nominis fuit, quod Castellũ Gandense vendiderint, & permutauerint pro arce Faestingana &c.

Hugo d'Enghien Dominus de Sotengien, qui à morte matris suæ Mariæ Castellanæ hæreditariæ Gandauensis, sæpe titulum sumpsit Burchgrauij, seu Vicecomitis Gandauensis, duxit *Beatricem de Stryen Dominam de Putte*.

Hugo Dominus de Sotengien Vicecomes Gandensis, vt proximè adgnatus, probat conuentionem quandam initam inter Philippum Villain, & fratrem eius natu maiorem Hectorem, quoad successiones parentum, & Ioannis fratris eorum defuncti. Adsunt Philippus d'Axelles, Dominus de Masmines, Dominus Sigerus de Gand, Dominus Raso Mulart, Sigerus de Cortraco, Walterus Briseteste, Iwanus de Vaernevvyck, Simon vanden Keukenen, Equites anno 1318.

Nous Hues Sire de Sotenghem, & Castelains de Gand, faisons sauoir à tous, que por le bon, & loial seruice ke no ciers & foiaules Gillebiers d'Oudenhoue Sainct Gery nous a faict, & encore fra, nous luy auons donnei, & donnons desore en auant à tous iours heritablement, & cet. Et nous Beatrix Dame de Sotenghem, & de Putte, Castelaine de Gand à le priere de no chier Seigneur Monsieur de Sotteghem deuant dict loons & greons, & tenons à bon toutes les coses dessudite fait 1320.

Adhærebant huic diplomati bina sigilla. In primo erat imago equitis manu gladium tenentis, ante pectus scutum, cum insignijs d'Enghien, & de Gandauo, cum hac inscriptione; S. Hugonis de Sotenghem militis, & Castellani de Gandauo. Alterum formæ oualis mulierem ostendebat, diffusa veste indutam, in cuius dextra scutum cum insignijs mariti, in sinistra scutum, cum

proprijs,

proprijs, & hac inscriptione; S. Beatricis de Stryen, Dominæ de Putte, &c.

Nous Robiers aisnes fieus au Comte de Flandres tenans la france administration de Flandres, &c. Faisons sauoir a tous chens, qui ces presentes lettres verront & oront, que nos chiers & foiaules, Gerars Sires de Sottinghem qui le Chastelrie de Gand tenoit en fief & soloit tenir de Monseigneur mon pere deuant dit, que la tiere, que on apiele le Iustiche, le Chastelain, en Flameng Sborghgrauen gherechte, *gisant en coste gand nous a porti en nos mains, & toutes les Iustiches haultes & basses, & tous les droix que il y auoit ou auoir pooit en quelcunque maniere que ce fut. Et Hues sen fieus qui herites en fu en le dite tiere Iustiches & droictures, nous porta la tiere ens mains, & le nous donna par ensi, que nous luy donnames en maniere de change pour le dite tiere Iustiches haultes & bases, & tous les droicts que il y eut, ou pooit auoir en quelconque maniere que ce fut nostre Chastel de Saftinghes, a tous quatre chient liurees de tiere par an a tous iours gisant entour le dit Chastel. Et le change fit li dis Gues desagies par lassentemēt, & le consentemēt de son pere deuāt dit, & de ses cousins, & amys de par le mere Thiry Sires de le Reust, Rases Sires de Gauere, Rases de Liedekercke Sires de Boulaer, Ian Briseteste cher & cet. Le susdit Comte Robert transporta quelque portion du dit achapt a la ville de Gand: a sauoir le iugement, & droict de maltotter, & leuer tailles sur les mannans des trestous du dict fief, auec pooir de iuger des cas, & fourfaicts qui sur les dites trestous auerront, comme ils font sur leurs aultres bourgeois de Gand; se reseruant le dit Comte l'Amanschip en la ville de Gand par tout a tousiours. Et pour douze mille liures de Flandres monnoye, & en fut adherite Huō Blaubert au nom de le dite ville. En presence de tous les sus Mentionnez, & de Hues Sires de Mallant, Ian Sires de Doesain, & VValtiers de Louendeghem Cheualiers,*

In Archiuis de Rupelmonda, nunc Gandaui in Arce noua Casaris.

liers, du consentement de Monseigneur Guy Comte de Flandres, pere au dit Monsieur Robert, & de VVillaines, frere au dit Robert, qui le tout aduoerent, loerent, & aggreerent. Le premier iour d'April en lan de grace 1299.

Maria d'Engien, dicta de Sottengien, filia hæres Hugonis Vicecomitis Gandauensis, maritum habuit *Hugonem de Antoing*. Per hos quomodo Castellania Gandauensis, quæ postea Vicecomitatus tituli insignita fuit, ad familiam de Melun peruenerit, supra ostendimus.

Ab hac scatibra etymon familia Villana fluxit.

Villanus de Gandauo filius secundo genitus *Hugonis Castellani Gandensis, Dominus de Hosdain, Bornehem, &c.* ex Oda de Champaigne. Huic vxor *Auesoeta*; frater fuit *Ioannes dictus Burgundio.*

In Archiuis de Bodelo.

Vniuersis præsentes litteras visuris, Hugo Castellanus Gādensis, & Dominus de Hosdinio salutem. Vniuersitati vestræ volumus esse notum, quod bonæ memoriæ Dominus Balduinus de Inghelosenberghe miles contulit in eleemosynam viris Religiosis, Abbati, & Conuentui B. Mariæ de Bodelo, de consensu vxoris suæ, decimam, quam idem B. habuit iacentem in Parochia S. Ioannis de Steene, quam idem B. tenuit ab Adeliza de Ouermeere, & dicta A. à Domino Villano milite fratre nostro, & idem Villanus à nobis in feodum. Nos verò dictam collationem ratam habentes, concessimus plenariam potestatem Dominæ Auesoetæ, relictæ prædicti Domini Villani, & Alexandro primogenito eius, quitandi, & quitum clamandi, ad opus dictæ Ecclesiæ, quandocunque voluerint, omne ius, quod ipsi habent in dicta decima, quocunque modo eis competere posset, & nos pro remedio animæ nostræ, &c. Actum & datum anno 1262. *Feria* 2. *post Trinitatem.*

Ibidem.

Domina Auesoeta, relicta Domini Villani militis, & Ioānes filius ipsius tunc primogenitus iam defunctus, & Alexan-

Alexander, qui nunc in primogenitura eidem Ioanni succeſſit, declarant ſe ſubmittere dicto Arbitrorum, ſuper controuerſia orta inter illam & Abbatem, & Conuentum de Bodelo, litteris 1262. His adpendebat ſigillum forma ouali, in quo imago mulieris ſiniſtra tenentis lilium, cum inſcriptione; *S. Aueſoetæ Dominæ Sancti Ioannis de Lapide.*

Aueſoeta relicta Domini Villani de Gandauo militis, & Alexander primogenitus eius approbant donationem decimæ ſitæ in Parochia S. Ioannis de Steene factam Abbati & Conuentui de Bodelo; Homagium & ius omne quitant, litteris anni 1262. *Ibidem.*

Alexander dictus Villain Dominus S. Ioannis, filius Villani de Gandauo ex Aueſoeta, vxorem habuit *Iſabellam.* Creditur è familia Lidekercke, vel Gauere; eo quod ſe Pannetier vocet.

Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis. Ego Alexander dictus Villain miles Dominus de Steene, & vxor mea ſalutē in Domino. Noueritis, quod nos ordinationē factā inter viros religioſos Abbatem, & Conuentū de Bodelo, ex vna parte, & bonæ memoriæ Dominam Aneſoetam matrem meam, & me ex altera, bene & competenter ſigillatam diligenter inſpeximus, in hæc verba: Vniuerſis præſentes litteras viſuris. Aueſoeta relicta Domini Villani de Gandauo militis, & Alexander primogenitus eius ſalutem in Domino ſempiternam. Vniuerſitati veſtræ tenore præſentium ſignificamus, quod nos decimam ſitam in parochia Sancti Ioannis de Steene, quam Dominus Balduinus de Inghelo-ſenberghe miles, &c. Nos verò ſuper ordinatione præmiſſa, calumnia ſuborta, attendentes, & cognoſcentes dictam ordinationem legitime, & modo debito fuiſſe completam, Eccleſiam de Bodelo prædictam, pro nobis, & noſtris hæredibus ab omni calumnia quitamus, & quitam clamamus. Promittentes bona fide;

Exſtat in Bodelo, cum aui in manu, induta veſtibus oblongis, more illuſtrium fœminarum. In Archiuis de Bodelo Gandaui.

& sub pœna in dicta ordinatione apposita; quod contra dictas ordinationem, & quiti-clamationem, per nos, vel per alios nihil attentabimus in futurum. In cuius rei testimonium, & munimẽ, præsentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini 1279.

Huic diplomati duo appendebant sigilla; quorum primum imaginem equitis habebat, dextra gladium, sinistra scutum gerentis, cum insignijs familiæ Gãdauensis, & hac inscriptione; *S. Alexandri dicti Villain militis.* In altero mulier videbatur manu dextera auem tenens.

Ibidem. Idem Alexander approbat, & confirmat conuentionem factam inter prouisores Ecclesiæ Sancti Ioannis de Steene, & Monasterium de Bodelo, quoad decimas quasdam sitas in eadem parochia de Steene, litteris anni 1290.

Notandum, hunc Alexandrum fuisse primum, qui gentilitium istud nomen Villain sumpsit à proprio nomine paterno, & ad descendentes in recta linea masculina modernos Isengemij Comites, Dominii sancti Ioannis etiamnum possessores, transmisit. Licet è familia quidam, non à Villano; sed maioribus eius orti solum Gandense nomen vsurparint. Vt in Sigeris in primis patet, titulis eius rei passim exstantibus. Vt in Archiuis Magistratus Insulensis, Ecclesiæ item de Harlebeke, de quadam Margareta Boetelins, &c. relicta bonæ memoriæ Domini Sigeri de Gandauo militis, &c. de consensu Gerardi, Rogerij, &c. liberorum dictæ Margaretæ anno 1396. Fuerunt etiam è Villani minoribus qui solum Gandense nomen tenuerunt, quique, prout libuit, alias à Gandauo dicti Villain scripsere, alias aliter.

1366. Ea stirps circa tempora Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis, desiisse videtur.

VValterus à Gandauo dictus Villain, Dominus Sancti Ioannis, Alexandri filius. Vxor ei fuit *Adeliza de Tamisia*,

quæ

quæ postea nupsit Simoni de Desseldonck. Frater *Iordanus*, à quo familia vander Moere & Braem.

Vniuersis præsentes litteras inspecturis, Symon de Desseldonc miles, & Adeliza de Tamisia Domina de S. Ioanne de Stene salutem in Domino. Noueritis, quod nos propter remedium animarum nostrarum, & parentum nostrorum, & quondam VValteri dicti Vileins, de consensu, & voluntate dilecti filij nostri Ioannis primogeniti nostri, fundamus, & dotamus ex nunc inter viuos, & irreuocabiliter, Capellaniam in Ecclesia de Tamisia in perpetuum deseruiendam ad magnum altare eiusdem Ecclesiæ, &c. Datum & actum 1306.

Waltero filij fuerunt, *Ioannes primus*, à Lindano Hector vocatus, Dominus Sancti Ioannis. Hic à Sicarijs in Arce Rupelmondana occisus est. Sed mox ob hāc cædem, iussu Principis, honoratiores Mechliniæ ciues, ad quinque millia, in præsentia Comitis Flandriæ stato loco comparuerunt, fassique sunt, se huius sceleris non fuisse auctores, etiam iureiurando interposito, dolere se animitus facinus hoc perpetratum esse, illud etiam sibi horrori semper, & execrationi futurum. Insuper compulsi pro multa decies mille florenos persoluerunt. Huius rei exstant tabulæ anni 1317. Gandaui in arce noua; quas vidi.

Fuit hic Hector frater Ioannis miles egregius; vxorem habuit Mariam de Gauera, filiam in cælibatu defunctam. Froissardus Tom. 1. fol. 23. verso, vocat Hectorem Villanum inter Barones & milites, siue equites eminentem, cum Ioanne de Rodes, Wulfardo de Ghistelles, Tit. de prælio Regum Franciæ & Angl. apud Vironfossam. De Hectore ita & Meyerus ad annum 1325. sub Ludouico Niuernensi: *Comes autem Namurceus, Hector Villanus, Sigerus Cortracensis, cæterique Principes viri, qui*

Gandaui stabant, à Comite faciendam temerè in Brugenses emptionem non arbitrabantur: propterea quod ciuibus inter se discordia laborantibus, nunquã satis fiderent, &c. Liberati Gandenses obsidione, Ducibus Villano, & Cortracẽsi statim egressi, obuiam sibi inter Cortracum & Aldenardam turmam 800. *aduersariorum, qui transitu quodam eos prohibere conabantur, &c. impetumque Gãdensium fortiter sustinuerunt. Sed Villani virtute peritiaque pugnandi longè inferiores victi sunt; ac præter paucos captiuos omnes interfecti, &c. Creuit eorum auctoritas, multisque formidini esse cœperunt, præcipuè ob Ducum Villani, ac Cortracensis fortitudinẽ, &c. numero ipse (nempe Ratgerus Brugensium Ductor) longe antecelluit. Concidit tamen illi animus, postquam Villanum Gandensem Ductorem esse cognouit.* Vide & Oudegerstum cap. 152. fol. 254.

Frater eius alter fuit *Philippus VVella Dominus*, vxor *Sophia Ghistellana*, Domina de Cauwenburch & Crubeke; àquo Philippus Dominus de Crubeke, Walterus Dominus de Welle, Wolfardus Dominus de Sterrebeke apud Louanium. A Philippo hoc Daniel, cuius tres fuere sorores; Sophia vxor Danielis de Walle 1350. Ida vxor Ioannis de Houthem prope Niuellã, & Catharina vxor Ioannis de Ostenda. Ioannis verò primi filius

Sunt qui Ioannem hunc secundum Hectoris filium faciant, & Ioannem primum sine prole mortuũ.

Ioannes secundus Dominus S. Ioannis vxorem habuit *Claram à Mirabello* 1335. quæ posteà Simoni de Maelstede nupsit 1341. denique Gerardo de Moerseke 1348. Fratres Ioannis, Gerardus; cuius vxor prima Adwick de Borsele, altera Margareta de Reyngersuliet sine liberis; Hector Præfectus de Bieruliet, qui tum erant Flandriæ Thalassiarchi. Prima vxor Santvordiana; ex quà Gerardus Vicecomes de Bieruliet, & Ioannes & Gulielmus, Canonici Monasterienses; vxor secunda erat de Coorlem, è qua binę filię; vna Gulielmi de Argenteau, altera

altera Walteri de Pallant vxor fuit. Philippus Cælebs Tamisiæ Aduocatus, & Hospitalis Tamisiensis fundator 1335. vir illo sęculo doctissimus. Ioannis verò huius filius

Ioannes tertius, cui vxor *Margareta de Brisetesle*, ex sanguine Gandensi. Fratres fuere, Rogerius, cui vxor Maria de Pitthem, è qua duæ filię, Margareta, vxor Ioannis de Ghistella Domini d'Axelles, & Dudzele, & Iusta, vxor Iacobi de Raueschot (secundum alios Malestadani Vicecomitis Zelandiæ) Sorores, Ioanna vxor Gulielmi de Cortrosin, & Clara data Philippo de Ghistelles Domino dę Cauwerburch. Ioannis tertij filius

Ioannes quartus 1426. Vxor ei fuit *Margareta à Gauera*, filia Arnoldi Domini Likerkani & Margaretæ à Bergis ad Zomī. Fratres; Hector miles strenuissimus, de quo ante; Philippus Oeconomus, & à Cōsilijs status Philippi Burgundię Ducis, Alosti Præfectus: sepultus Bruxellæ apud Minoritas; cuius filius etiam Philippus legitimus vnicus sine prole defunctus, & in eodem monasterio sepultus. Filiam habuit vxorem Philippi Wielant Flandriæ Præsidis, viri non minus auita nobilitate, quam doctrina clarissimi. Soror item Ioannis fuit Maria, vxor Philippi Tollins Vicecomitis Alostani. Aliæ duæ sorores religionem Foresti amplexæ sunt.

Adrianus filius Ioannis quarti Dominus S. Ioannis. Vxor ei fuit *Iosina de Praet, dicta de Moerkercke*, Domina de Merkem filia Colardi; *Frater*, *Ioannes* Dominus de *Hunsse, Burcht, Zwindrecht*, qui coniugem habuit Gudilā Raes, *filiam* Godefridi Domini de Pamele & Leetberghe, è qua suscepit filium Ioannem, cui vxor fuit Domina de Gruthuyse, ex qua Agnes. Ioannis huius frater fuit Christophorus iunctus Ioannæ de Lannoy, filiæ Antonij Domini de Mingoual,

Obijt 1449. sepultus Tamisiæ.

goual. Alter Godefridus, cui vxor Isabella van Liere, dicta d'Immerzele, plura fundauit loca pia Mechliniæ, Hospitale pro senibus egenis, vulgò Oliuetum. Ipsa Clarissas, &c. Sorores habuit Margaretam, vxorem Adriani de Cruninghem, & Gudilam, vxorem Ioannis de Montmorency, Domini de Neuele, prius Canonica Malbodij. Sorores Adriani fuere, Clara, vxor Ghistellani Domini de Dudzele, Margareta vxor Florentij Saemslacht, & Elisabeth, Herici Dickbier Domini de Mierlo.

Anno 1421. sub Philippo Audace.

Honorificè loquitur de hoc Ioanne Domino de Hussen, Burcht, Zwijndrecht, fratre Adriani, Meyerus, & in hãc formam: *Hac pugna & omnes quidem, qui cum Duce permanserunt, rem fortissime gerebant: sed præcipue commendatur virtus, & robur Ioannis Villani, qui genere Flandrus, equestri eo die donatus dignitate, nobili & antiqua prognatus prosapia, longa statura, vasto & valido corpore, forti insidens equo, maximam securim duabus ferebat manibus, primoque congressu, vbi maxima erat pressura, relicto freno equi sui, tãtis ictibus hostes aggressus est, vt quoscumque attingere posset, in terram exanimes daret. Cum ad PottonemTralam terribiliter feriendo perueniret: ille, vt postea fassus est, timore perterritus, furibundos hominis ictus, quam potuit, ocyssimè declinauit, ob horrorem tantæ eius securis. Villanos istos ex Gandensibus prognatos lego.* Vide & Monstreletum, easdem laudes Ioanni dantem, folio 224. verso capite 248. *Adonc le Ducq de Bourgoigne, qui estoit retourné sur le champ, fist rassembler les gens, & leuer aucuns de son costé, qui la auoint esté mis à mort par l'especial le Seigneur de la Viesuille, & iacoit ce que les nobles & grands Seigneurs, qui estoint demouré auec ledit Ducq se portassent celuy iour tresuaillament, entre les autres faut parler de Iean Villain, qui ce iour auoit esté faict Cheualier, lequel estoit du pais de Flandres, bien noble homme, de*

de haute estature, & trespuissant du corps, monté sur vn bon cheual, tenant vne forte hache a deux mains, à tout laquelle a assemblée se bouta en la plus grande presse de ses aduersaires, & auoit abandonné sa bride; si leur departoit de si grand coups, que ceux qui en estoint attains, estoint portez ious sans recourer.

Martinus Adriani filius Dominus S. Ioannis, Raffengien, Bafferode, in ditione Teneramōdana, & Tamisię Aduocatus, à Consilijs Status Philippi Burgundi, vxorem habuit *Antoninam de Masmines*, Ioannis Calkenę Domini filiam, & heredem. Is Tamisiam, cum arce dicta de Ercke, cum suis Ierosolymam profectus, vendidit Abbati S. Petri in monte Blandinio iuxta Gandauum 1458. pretio 4000. scutatorum. In hoc itinere dum redux Cyprum visit, à Carlotta, Ierusalem, Cypri & Armenię Regina, in Ordinem regalem Spathæ adlegitur. Vt liquet tabulis an. 1459. XXIII. Iulij. Frater Martini fuit *Colardus Baro de Lidekercke, Vicecomes Lombeke, Dominus de LeeuWe, Eygendom.* Eius vxor *Margareta de Ghistelles*, filia Guidonis Domini d'Axelles. Sorores fuerunt, *Catharina*, vxor *Rogerij de HaloWijn* Domini de Sweuegem, Vicecomitis Horbalacun. *Margareta* vxor *Iacobi à Grisperre*, Domini de Ogierlande. Filij Colardi fuere, *Adrianus* à Consilijs & cubiculis Philippi Archiducis; cui vxor *Iusta de Romerswalle*, filia Nicolai D. de Lodijck; cuius filius Engelbertus sine prole obijt. Margareta hæres vxor fuit Ioannis de Hannart; cui filius Carolus de Redeghen, dictus Hannart; qui ex Maria habuit Mariam Hannart heredē Likerckanam, vxorem Iacobi de Hennin Lietart, fratris Comitis de Boffu. Alter Colardi filius Martinus, qui Mariam de Ostenda coniugem habuit. Colardus sine prole legitima defunctus, ex Martino filij duo iuuenes obierunt, Colardus adolescens, & Adrianus Eques Melitensis, in expeditione Algeriana cæsus. Martini filia Iacoba, primum Phi-

1461.

Hæc Catharina fuit hæres Dominij de Merkem, Beste, & Roxbrie, & istorum feudorū, eo quod Martinus, & Colardus fratres mortui fuerint ante patrem.

Philippo de Cottereau sine prole defuncto, postea Philippo van Royen Domino de Ghyseghem iuncta est.

In Archiuis Curiæ feudalis Alostanæ

Meßire Martin Vilain Cheualier Seigneur de Raßengien, & Meßire Colart freres comparants pardeuant les hommes de la cour feodale le Perron d'Aloſt, declaroint eſtre accordez amiablement par enſemble, pour la ſucceßion des biens de feus leur pere & mere, & pour la liquider à l'apaiſement de l'vn & de l'autre, ledict Meßire Martin laiſſoit ſuiure à ſon frere la proprieté des Seigneuries de Lidekercke, Leeuwe, & Lombeke, auec leurs appertenances, pour en iouyr par luy, & ſes hoirs, auecq ceſte condition, que ſi ledict Meßire Colart, ou ſes ſucceßeurs vendoint ou chargoint à l'aduenir les parties ſuſdites, qu'en ce cas Meßire Martin, & ſes heritiers auront droict du quatrieſme denier, à chaſque fois que l'on vendrat ou chargerat. En ſuite dequoy les hõmes de Fief ſuſdits ont adherité Meßire Colart Villaines parties cy reprinſes. Faict le 11. d'Aougſt 1462. Le Cõte d'Iſengiẽ & ſes anceſtres ont touſiours eu ce droict en partage.

Adrianus à Gandauo dictus Villain, Baro de Raſſengien, & vt Lindanus ait, *arcis S. Ioannis liber Toparcha, Dominus de Calkene, collator hæreditarius officiorum, & beneficiorum Aſſenedæ, & territorij Aſſenedani*, vxorem habuit *Mariam de Cuingien, Ioannis Cortracenſis filiam*; quæ marito in dotem attulit *Lomme, Hem, Obeaux*. Hic fuit Maxæmiliano Cæſari à Conſilijs, & Cubiculis. Cuius iuſſu, præfuit exercitui quindecim millium à Gandauenſibus conſcripto, ad reprimendum Gallum; de cuius irruptione paſſim rumor, & metus erat. Idem 1482. nuncupatus eſt primus Mandatarius ad innouandos Flandriæ Magiſtratus. Mortuâ dein Maria Burgundica, cum de prouinciarum adminiſtratione, & Principe pupillo ageretur, ea, ſuaſu Concilij, Principis defunctæ conſanguineis aſſentiente Archiduce, delata eſt. Inter eos numerantur, Philippus de Raueſteyn, Philippus de Beuere, de Gruuthuyſe,

Vide Lind. l. 3. cap. 3.

huyse, & de Raſſengien Barones. Eius verò conſilij cum breui Archiducem pœniteret (videbat enim hac ratione ſe in ordinem cogi) Conuentu Teneramondæ indicto, hi Proceres, cum Flandriæ ordinibus, cauſſas adtulere, ob quas filij Principis tutelam gerere Archiduci non liceret: offerentes ſtare iuri in Curia Pariſienſi, aut coram ipſo Rege de controuerſia diſputare. Tandem à ſicarijs Adrianus è medio ſublatus eſt; Philippi CliuenſisRaueſtanę Domini imperio, qui capitalis erat Archiduci hoſtis. Cauſſam dicit Oliuerius de la Marche, quod *Raſſeghemius*, qui eius arcana norat, tueri partes decreuiſſet. In illis arcanis erat: Tutorio prætextu Principem hęreditate excludere, ſibi ditiones vēdicare. Quod vbi moliri Raueſtanū, Raſſeghemius videret, neque ab inſtituto poſſe auelli, Principi ſuā fidē probare maluit, quā in ſceleris, & præmiorum partē venire. Aliam addit cauſam Crantzius, quod Ordinum Flandriæ Legatos è Gallia reduces Archiducis iuſſu Raſſeghemius detinuerit. De huius cædis expiatione etiam Archiduci cura fuit (vt in legibus pacis cum Raueſtano expreſſa mentio.) Illique tādem ſatiſfactum certis conditionibus, annuentibus defuncti cōſanguineis. a Inter quos *Engelbertus de Naſſau Comes, Dominus de Breda, Ioannes Dominus de Bergis ad Zomam, Ioannes Dominus de Cruninghen, & Pamele, Iacobus ab Halowino Dominus de Sweueghem, & Merkem, Dominus Philippus Villain, Nicolaus à Romerzwale, Dominus de Lodyck, Colardus de Villain, omnes Equites & adgnati, Adrianus Villain Dominus Lidekerkanus, Daniel de Praet dictus de Moerkercke, Iudocus à Ghiſtella Dominus vander Moere, Georgius & Nicolaus vander Moere, Adrianus à Raueſchot, Iudocus à Saemſlacht, Gerardus ab Angerellis, Carolus à Ghiſtella*; & plures alij. Ea de re ſupereſt diploma datū an. 1492. XXI. Martij. In hunc vero modum ſcelus expiatum eſt: Dolere ſe ex

Lib. 2. c. 14.

Hæc ab amico Gandauenſi fideliter mihi tradita:

a *Primus hic comparuit Daniel uā Praet dictus de Meruvvede, ſupremus Flandriæ Prætor, Iudocus van Ghiſtele magnus Gan*

dauẽsium Prætor cum appendicijs, Dominus de Moere & Maelstede, D. Adrianus van Rauescot eques, Ludouicus van Massceme & Ludouicus de Praet filius D. de Moerkerke, Angerius de Massceme

ex animo fassus est Rauestanus, si ea res non accidisset, fore, vt eueniret nunquam. Anniuersarium quotannis pro anima defuncti celebratum iri, cum ea decẽtia, quæ meritis Adriani responderet. Sacrum insuper quotidianũ. Se quoque ad limina SS. Apostolorũ, & ad S. Iacobũ in Hispania profecturũ. Deprecari se veniam humiliter, & obnixè omnes Adriani amicos & adfines, velle se cũ eis, eorumque posteris pacem, ac dilectionẽ perennem.

In diplomate verò erectionis Comitatus, quod apud Rybekium armorum regulum fuit, hæc honorificum in modum de Maxæmiliani nepotis huius Adriani maioribus narrantur: *Qui ont tousiours rẽdu grandes & notables seruices à nos predecesseurs Princes de nosdicts Pais d'embas de tresrecommandée memoire, en charges principales de gouuernements de villes, Admiralité de Mer, charges de guerre, & en Estats de Conseilliers à leurdicts Princes, mesmement Messire Adrien Vilain, grand pere dudict Baron de Rassengien, lequel es dissensions ciuiles en nostre dit pays & Comté de Flandres, au temps du Sieur de Rauesteyn, a esté lors en charge principale, y exposé sa vie pour la querelle de sõ Prince, & esté tué pour icelle, &c.*

Adrianus, Adriani filius, natus posthumus, *Rassegemij Baro, Calkene Toparcha, collator hæreditarius, &c.* Vxor ei Margareta de Stauele, Domina & hæres Isenghemij, & Emelghemij, filia Ioannis Domini Isenghemij, Glaionne, Esterre, Haueskercke. Obijt hic in flore ætatis maximè adflictus podagra. Amita fuit Margareta, Philippi de Stauele, Glaionæ Domini, Equitis aurei velleris, qui sub Carolo Quinto Cæsare domi, & militiæ clarus fuit. Etiam Margareta hæres esse debebat dominiorum de Estaires, & Haueskercke, si importunis inductionibus fratris sui Ioannis de Stauele non renuntiasset, in fauorem nepotis sui Philippi filij Iudoci præmortui; ea tamen lege, & conditione: vt si quando deficeret linea de Stauele, rediret ad se, vel suos hæredes in linea directa.

De

De his est adhuc controuersia pro iure radicato, & transmissibili. Adrianus in ipso ętatis flore licet extinctus, sub Maxæmiliano tamen Cæsare in Italia meruit; & cum Adolphus, Philippi Burgundię Ducis nothus, Dominus de Beuere, & Vlissinghen, Belgici maris Architalassus esset, aliquot nauibus per Ordines Flandriæ instructis, cum titulo Capitanei generalis præfuit.

Maxæmilianus Isenghemij Comes, Rassenghemij Baro, Dominus de Calkene, VVettere, Masmines, Lomme, Arcis S. Ioannis collator hæreditarius, &c. natus est Gandaui anno 1530. mortuus Tornaci 1585. sepulchrū habet in Lomme, gentilitio apud Insulas loco. Fratrem habuit natu maiorem, Adolphum magnæ spei adolescentem: huic aperta forte vena pedis inter festas nobilissimi cætus, quas ductabat, choreas, funesto toti familię casu mortem accelerauit ętatis an. XVIII. à Christo nato 1547. Absque hoc fuisset, decreuerat Maxæmilianus ad normā D. Francisci vitam transigere, sed adita fratris hæreditate, propositū mutauit. Igitur an. 1554. inter nobiles Palatinos Mariæ Hungarię Reginæ, Cęsaris Caroli sororis, quæ per ea tempora Belgicam administrabat, adscriptus est. Postea Philippum Hispaniarum Principem secutus, cui per omnem vitam gratissimus fuit, & à quo titulū Comitis (aliquod pro meritis suis, maiora licet exigentibus, honoris, & gloriæ præmia, ornamentum) varia insuper munia & domi, & militiæ accepit. Anno 1561. Alostano Comitatui pręfectus est, triennio post Insulis, Duaco, & Orchiaco; vtrobique datus successor Illustri viro Ioanni de Montmorency Domino de Courieres, aurei velleris Equiti. Anno 1567. factus est quartus Mandatarius Magistratibus per Flandriam nouandis; anno 1570. decennio post secundus. Mortuo Carolo Berlemontio, aurei velleris equite, Comitatui Artesiæ an-

Natus Gandaui 1530.

no 1574. & aliquot sequentibus præfuit; anno 1576. Consiliarius status regius factus est, & ærarij Belgici præfectus primarius. Philippus secundus Rex Catholicus, & eius nomine Ludouicus de Requensens & Zuniga, Magnus Castellæ Commendator, Belgicarum ditionum Præses, ei prefecturam Vltraiectensem, Gheldrensem, Frisiæ & Regionum adiacentium, qua ante functus fuerat Comes de la Roche, obtulit. Sed cum se Regi, patrieque proficuum magis in partibus Galliæ vicinis iudicaret, honorem non admisit. Maxæmiliano itaque in absentia Comitis de la Roche Commissa est anno 1573. ex consilio eiusdem Magni Commendatoris Castellæ Ludouici de Requẽsens, Gubernatio Comitatus Artesię per Philippum Regem, cum plena eius muneris auctoritate, ac omni iure. Per eundem Commendatorem factus est Dux ducentorum peditum pro defensione patriæ Regijque iuris 11. Iunij 1574. Prȩfectus est quoque à Ducissa Parmensi pro defensione Insularum quinquaginta sclopetarijs equitibus 2. Ianuarij 1566. cui totidem additi 13. Nouembris eiusdem anni. Per eandem Principem creatus est Dux cohortis peditum ordinarię 2. Ianuarij 1566. in qua functione ei successit Dominus de Hellem; accepit & 4. Iulij 1566. sexaginta pedites pro tuitione Castelli Insulensis. Assignati per Ducem Albanum eidem, vt Insulensi, &c. Prȩfecto, satellites 12. quos etiamnum nepos habet, honoris, & tuendi corporis caussa. Ab eodem Duce pro defensione ditionis Insulanæ, Sclopetarios equites quinquaginta accepit: pro tuenda item occidentali Flandria per eundẽ Principem Dux quadringentorum peditum constitutus est 2. Septembris 1568. Accepit & ab Albano alios pedites sexcentos pro defendenda ditione Insulana vltimo Maij 1572. per eũdem ipsi additi alij sexcenti 16. Iunij 1572.
per

per Magnum Commendatorem dati ei milites quadraginta ad coercendos prędones, aliosque nefarios, id genus, homines 1573. Ciuitas Iprensis, ac ordines Flandrię occidentalis ab Albano quadringentos pedites contra Iconoclastas, aliosque similis farinæ rerum sacrarum euersores 22. Iunij 1567. impetrant: eorum Dux constituitur Maxęmilianus; alios centum obtinent sub eodem Duce 1. Februarij 1567. Eiusdem fortitudine profligatus Dominus de la Noue, fortis, & impiger quidem miles, sed homo impius, ac Machiauelli venenosis erroribus imbutus, iuxta Inghelmunster in Flandria. A Rege Catholico Philippo Secundo missus cum Thoma de Thiennes, Domino de Castre, Burburgum ad renouandum istic Magistratum 1571. Defuncto Domino de Beauuois à, Magno Castellę Commendatario pręficitur ducentis militibus ad defensionem Atrebatium, cum Gubernationem Artesiæ acciperet 11. Iunij 1574. Ne coniuratio rebellium hæreticorum, & iconoclastarum iuxta Meninas, & Cortracum concepta, glisceret, caussa fuit. pro qua re particulatim ei gratias egit Philippus Rex. Totam Artesiam, in deteriora alioquin abeuntem, Conuentu Audomaropolitano, cum Domino de Capres composuit. Multa sæpe millia publicę caussæ mutua dedit, ac solutionis militibus præstandæ fideiussor fuit, adeò vt etiam post mortem illius, vidua, liberique eo nomine obstricti manerent; quos tamen pro sua æquitate Rex illis post oneribus exemit. In obsidione Tornacensi sub Alexandro Parmæ Duce insignem præstitit operam; cuius intuitu Rex ei domum in vrbe eadem, quam nũc, pia liberalitate viduæ Philippæ de Mastaing, Patres Societatis Iesu habent, donauit. In defendendo Insulensi oppido vigilantissimus, proditiones sæpe deprehẽdit, proditores puniuit. Ob quam caussam ei Rex singulares etiam

iam egit gratias. Bruxellæ, Insulis, Gandaui, & alias alibi, pro Ordinibus Belgicæ contra Regem subscribere noluit; alios quoque, ne id facerent, induxit; aliquorum etiam nomina expunxit; Conuentus varios & conspirationes clandestinas impediuit. Quia ea ratione ad saniora redituros consilia Belgas sperabat, auctor fuit præcipuus, vt Rex quidquid ab his in Deum, Regemque peccatum erat, generatim condonaret. Sæpius à Rege vocatus, & à nobilitate Belgica missus, in Hispaniam profectus est. Gandaui in Comitijs Ordinum generalibus contra ius gentium detentus, & per menses octodecim in carcere fuit, cum summo & euidenti vitę discrimine, nisi arte euasisset. Quam ob rem Gādauenses ira perciti, omne eius peculium, molas, census, domos, Isengemij & alijs in locis exusserunt. Ex Hispania redux eandē ignominiam Bruxellæ tulit, vbi & de eo actum erat, ni Dux Arscotanus sua eos auctoritate mitiores reddidisset. Plura ei obiecta fuere, & hoc præcipuum, quod ipsius præsertim studio Ioannes Austriacus, & cum eo miles Hispanus, in Belgium redisset; quod immodica stimulatus ambitione, omnibus vijs gratiā Regis aucuparetur; quod eius potissimum artibus, alius etiam pręter Hispanum, peregrinus miles, alioquin abiturus, reuocatus sit; quod sub prætextu tranquillitatis, & pacis, regiam auctoritatem tantum stabilire conaretur; quod rebellionis, & aliorum perperam factorum veniam, ad Hollandos ipse tantum, & Zelandos restringeret, vt ea ratione ab Auraico, cui strictius adhærebant, disiungerentur. Quod auctor Regi fuisset, spem fictam Belgis facere de aliquo liberorum suorum in Belgium mittendo. Quod Alostum ab Hispanis ipso consentiente fuerit expilatum, aliaque his similia. Quę sanè omnia fidem eius egregiam debitamque regi obseruantiam, denique in Deum pie-
tatem,

tatem, ac pro Religione orthodoxa zelum insignem declarant. Verum plura Maxæmiliani, ac maiorum eius in Remp. merita, diploma luculentum, quo à Philippo secundo Rege Catholico Iseghemij Comes constituitur, recenset. Vnum hic præterire non debeo: ab illo quoque Insulis scholam Dominicalem, vbi iuniores in fide, & bonis moribus instruuntur, erectam, atque fundatam esse. His itaque atque alijs Magistratibus magna cum laude administratis, & officijs in Remp. præstitis; multa insuper & Gandaui, & Bruxellis, vt ante diximus, à perduellibus, pro Deo, & Principe passus, tandem naturæ satisfaciens, summum sui desiderium Principi (qui fidem, prudentiam, zelum, constantiam; eiusque cæteras verè heroicas virtutes, magno semper in pretio habuerat, vt frequentibus litteris sua etiam manu scriptis est testatus) patriæ, familiæ, omnibus denique bonis reliquit. Vxorem habuit Philippam de Iauçe, dictam de Mastaing, filiam Gabrielis & Catharinæ de Lannoy, filiæ D. de *Molēbais*, hęredē ditionis Masminię ab Andrea auo suo, qui filiam Roberti Masminij Equitis aurei velleris in primis Comitijs duxerat, quā adhuc hæredē Maxæmilianus duxerat, si non socer Gabriel ad secundas; &c. Habuit illa patrem Gabrielem Mastainæ Dominum, auum Andream, auiam Margaretam filiam Roberti Masminij Equitis aurei velleris, cui pater Walramus, qui genus duos ad Ghyselbertū Sottengemium, Machtildis à Bethunia maritum, quæ soror fuit Roberti Bethuniæ, & Teneramondæ Domini, filia Machtildis Teneramondanę, & Gulielmi Bethunij, Aduocati Atrebatensis, Bethuniæ Domini. Matrem habuit dicta Philippa Catharinam de Lannoy, filiam Domini de *Molembais* Equitis aurei velleris. Cuius soror fuit auia materna Ducis Arschotani Philippi; nupta enim erat Ioan-

ni

ni de Halowijn, Cominij Domino, cuius ex eo filiam vxorẽ habuit Dux Arſcotanus, nuper in Italia defunctus. Et hęredem quidem Philippam Gabrielis de Iauçe duxerat Maxæmilianus, ſi nõ ad ſecundas conuolaſſet nuptias ſocer, & Georgij de Montmorency Domini de Croiſilles ſororem (è quo connubio Ioannes, & modernus Comes de Maſtaing Philippus nati ſunt) ſibi copulaſſet. Sorores Maxęmiliani fuere, Helena, vxor Franciſci de Montmorency, Domini de Berſees, Watines, &c. Margareta denique, quæ obijt innupta. Filij verò

Iacobus Philippus à Gandauo, dictus Villain, Iſenghemij Comes, Raſſenghemij Baro, Arcis S. Ioannis ad lapidem liber Toparcha, Maſminia, VVettera, Lõma, Oordeghemi, &c. Dominus, Collator hæreditarius officiorum & beneficiorum Aſſeneda, & territorij Aſſenedani, &c. is annos natus viginti, & patre Maxæmiliano defuncto in Hiſpaniam profectus, & in Aula Philippi Secundi Nobilibus Palatinis adſcriptus eſt; poſt Philippo Tertio Hiſpaniarum Regi à Conſilijs ſtatus Belgici fuit, & mox Alberti & Iſabellæ Belgarum Principum Oeconomus, & Dux vnius Turmæ Equitum Cataphractorũ. Hic prioribus nuptijs vxorẽ duxit *Odiliam de Claerhout* (quæ familia à Gandauenſibus oriunda, vt ante vidimus) filiam *Iacobi Baronis de Maldeghem*, Cooſcamp, Vutkercke, Guyſe, &c. & *Anna de Merode* (quæ patrem habuit Richardum, Baronem de Frentzen; matrem Franciſcam de Bochout, ſororem Mariæ, à qua ad Naſſouios Baronatus de Boulaere peruenit.) Fratres Iacobi Philippi fuere, *Lamoraldus Ignatius*, qui Religioſus Societatis IESV obijt, *Ghyſelbertus Dominus de Hem*, Regi Catholico à Conſilijs belli, eques Ordinis Sancti Iacobi; cuius vxor *Franciſca de VViſſocq*, filia Domini de Bouiny, Gubernator Rentiacus, & vnius Cohortis peditum ordinariæ Capitaneus. Eius liberi ſunt, *Iacobus Maxæmilia-*

nus Canonicus Tornacensis, *Ghislebertus* puer honorarius Philippi Quarti Regis Catholici, Eques Ordinis de Calatraua, *Adrianus*, *Franciscus*. Filiæ tres, *Philippa* senior Canonica Niuellana, altera *Isabella* Montibus, tertia *Maria Philippa*. Plures alij immatura ætate obierunt. Alij verò Iacobi Philippi fratres, *Philippus* Societatis IESV religiosus, *Maxæmilianus modernus Ecclesiæ Tronacensis Episcopus*. *Paulus* obijt Canonicus Atrebatensis. Sorores, *Anna* nupta *Adriano de Noyelles*, Domino de Croix, patri *Iacobi de Noyelles moderni Comitis de Croix*, *Baronis de Maldeghem, &c.* *Helena* obijt Canonica Montibus, *Ioanna* Mater Ancilla Annunciatarum Duacensium; *Iacoba* obijt Canonica Montibus, & *Adriana* puella ad superos profecta. Liberi ex Odilia de Claerhout Iacobi Philippi sunt,

Philippus Lamoraldus à Gandauo, dictus Villain, Isenghemij Comes, &c. à cubiculis Archiducis Alberti, Dux turmæ Equitum, ante supremus Comitatus Alostensis Præfectus, nunc Gubernator, Capitaneus, & Castellanus vrbium Insularum, Duaci, & Orchiaci, &c. Vxor ei *Isabella Margareta de Merode*, filia *Philippi Comitis de Middelbourg*, Baronis S. Imperij de Frentzen, qui Serenissimorum Belgicæ Principum nuper Oeconomus, Brugensium Præfectus, primusque nouandis in Flandria Magistratibus Mandatarius, post Tornacum & Tornacensium regio nomine administrauit, magnus etiam Flandriæ Venator. Et Ioannæ de Montmorency, quæ filia Georgij Baronis de Croisilles, dum viueret, Brugensium Pręfecti, &c. fuit. Alij ex dicta *Odilia de Claerhout* liberi sunt, *Franciscus Baro de Rassengien Præpositus Ecclesiarum Montensium, Leodiensis Canonicus, & Cortinæ suæ Celsitudinis præfectus, &c.* *Adrianus Lamoraldus* Canonicus, & Cancellarius Tornacensis, gemellus cum Maxęmiliano, qui obijt trimestris, à quo partu paucis post diebus etiam mater oppetijt.

Filiæ,

CAPVT IV.

Castellania veteris-Burgi Gandensis cum Indiculo Prætorum.

DE Castellania veteris-Burgi Gandauensis non multa dicturus sum; nam, vt ab ijs mihi relatum est, qui eidem præsunt, monumenta eius, in quibus originem, ac iura prætorij eiusdem videre fuit, partim incendio, partim aliâ temporum noxâ interierunt. A vetere tamen Burgo siue castro GANDA ortum illi esse, vel nomen ipsum indicat. Pauca etiã de eodem in suis Antiquitatibus adfert Gramaius. Remanet, inquit, ex diruta Gandæ arce peculium XLVI. vicorum, qui in quaterna distributi membra, duobus obnoxij tribunalibus, ego vnicum reor, Castellania Audenburgi GANDENSIS vocantur. Illi, eodem asserente, post euersum, aut à Monachis S. Bauonis occupatum vetus Burgum, in petram Comitis translati sunt. Flandriæ verò Comes Audenburgi, siue veteris castri dominatu potitus est, post annum CIↃ. CLXXIV. & mortem Theodorici principis Alostani, & vna clientelis, pagisque Castellaniæ Audenburgicæ Gandensis nomine censitis. Adeo vt iuxta Gandauum, & in ipso quadrifariam opidi dominatu fruatur idem Comes. Castello enim nouo Gandensi Cæsaribus erepto, idem gaudere cœpit & appendice Ambactorum circa annum CIↃ. CXX. Tractu verò pagi Menapisci versus Trunchinium tanquam *Comes, & Aduocatus* potiebatur; vnde rescripto anni CIↃ. LXXXVII. de Trunchinio ait Comes: *Condonare se ei quidquid Comitatus, & Aduocationis ab antiquo antecessores tenuerant.* Blandinio denique, ac vicinis titulo principatus Harlebecani ab anti-

quis imperabat, ob hoc Galliarum Regis vſque ad tempora Caroli V. ob illa Cæſaris olim cliens fiduciarius. Ita ferè Gramaius. Habet Caſtellania inſigne, Arcem candidam in ſcuto nigro ferreis clatris introrſum prominentibus ſub cauo portæ. Pagorum nomina hæc ſunt: Neuele, Vinct, Looten, Hulle, Meyghem, Landeghem, Mariæ Leerne, Martini Leerne, Vorſelaere, Poeſſele, Bachten, Zeueren, Baerle, Ruyſlede, Aelteren (eius olim loci Dominus fuit Ludouicus à Prato Magnus Gandauenſium Prætor, Eques aurei velleris, vir præſtantiſſimus, ac editis ſcriptis clarus) Kneſſelaere, Vrſele, Bellem (Nunc Rymiæ gentis antiquæ, ac in Rep. noſtra claræ Dominium eſt) Hansbeke, Ooſtwinkele, Somerghem, Ronſele, Louendeghem, olim Burgundicæ, nunc Trieſtiæ propaginis Toparchia, Dronghene, Waerſchot, Meerendre, Vinderhoute, Mariekercke, Euerghem, Sleydinghen, Wondelghem, Heuſdene, Ooſtackere, Zeueneecke, Deſſelberghe, Loo Chriſti, Saffelaere, Mendonck, Deſſeldonck, Swynaerde, Eecke, Nazarette, Duerle, Lathem, S. Denijs, Afsnede, Seeuerghem. Nuper iuxta petram Comitis ære collatitio huius agri ædificata eſt ſplendida & egregia domus, in qua è præcipuis aliquot viri nobiles, & honorati in eadem Caſtellania feuda poſſidentes ius dicunt, ac tribunal Audeburgicum moderantur. Eorum nunc anteſignani Iudocus Trieſt Eques Dominus de Louendeghem, Rudderſhoue, Meerelbeke &c. Ioannes Wouters Dominus de Vinderhoute, Meerendre, Belzele &c. Martinus Snouckaert Dominus de Somerghem, Franciſcus Borluut Dominus de Bouckele, Franciſcus Borluut Dominus de Schoonberghe, Ioannes de Stoppelaer, Michael de Seclyn Dominus de Heyne, alijque, quorum nomina, ne

paginam

paginam longiorem plus æquo faciamus, omittimus. Prætores vero, quorum prima in hoc vrbis nostræ territorio dignitas est, aliquos hic commemorare nonnullum operæ pretium fuerit. Primus qui à me reperiri potuit, occurrit *Guilebertus Seriacobs*, qui publico diplomate à Principe accepto, Prætor Castellaniæ Audeburgensis & Ambacti de Somerghem constitutus fuit. Successit illi *Ioannes vanden Zype* Dominus de Wasieres, qui filius fuit Petri Equitis, ac primi in Curia Flandriæ Præsidis. Patet ex diplomate Principis concesso in Octobri 1393. Is cum aliquo tempore Prætoris Audenburgensis officio functus fuisset, Prætor factus est ditionis Wasiæ anno 1399. in locum Ioannis le Febure, qui in eadem prætura mansit vsque ad annum 1414. Ioanni successit *Gerardus Machet*. Patet ex diplomate anni 1399. Habuit is successorem *Gerardum Herdinc*: quod declarant tabulæ anni 1404. vigesimo secundo Septembris. Post illum venit *Francus de VVybrouck*. titulum habuit, vt patet ex diplomate nono Maij 1407. Prætoris Audenburgensis, & de Somerghem. Successit illi *Ioannes Bertelmeeux*, dictus *de le Breuet*. Patet ex litteris an. 1412. sed officio destitutus, successorem habuit eundē de Wybrouck mense Iulio 1413. Eo defuncto successit *Ioannes de Stoppelaer* Prætor etiam de Somerghem. Patet ex diplomate Ducis Burgundiæ vigesima quarta Aug. 1414. *Guilebertus Seriacobs* in locum Ioannis de Stoppelaer iterum constitutus est Prætor Audenburgi, & de Somerghem. Patet ex diplomate vigesima quinta Nouem. 1419. Post hunc inuenio *Ioannem de Caudenberghe*. Diplomate anni 1422. vigesima secunda Iunij. In eius locum mox surrogatus fuit *Nicasius Chamble*. Diplomate 22. Septembris anno 1422. Iterum vero in huius locum venit *Ioannes de Stoppelaer*

pelaer Prætor etiam de Somerghem. Patet ex litteris 20. Iunij anno 1428. Is suo loco positum vidit *Lambertum de Stoppelaer.* Diplomate anni 1435. in Ianuario, titulumque habuit Prætoris de Somerghem, & Curiæ de Desseldonck. Lamberto rursum successit *Ioannes de Stoppelaer* Prætor Audenburgi, Ambacti de Somerghem, & Curiæ de Desseldonck. Indicant id litterę anni 1453. in Ianuario. Post hunc inuenio *Ioannem van Melle* Scutiferum Domini Ducis Burgundiæ; pręstitit iuramentum vt Prætor Audenburgi, Somerghem, & Curiæ de Desseldonck 4. Ianuarij 1467. *Hector de Stoppelaer* in locum Ioannis van Melle factus est Prætor Audenburgi, Somerghem, & Curiæ de Desseldonck anno 1467. Successit illi *Liuinus de Sack* Consiliarius Archiducis Austrię, Ducis Burgundiæ. Indicant hoc litteræ an. 1476. vigesima sexta Martij. D. *Ioannes de Fourmelles* Eques Toparchus de Oostkercke, Consiliarius, & Cubicularius eiusdem Principis, successit prędicto Liuino Sack. Patet ex litteris datis septima Mart. 1478. Titulū habuit Prætoris Audenburgici, Somerghem, & Curiæ de Desseldonck, numerata summa quingentarū librarum Parisiensium. *Ioannes du Bois* Scutifer successit eidem Ioanni de Fourmelles. Docet id diploma anni 1481. decima nona Iunij. Is postmodum *Ioannes vanden Haute* appellatus fuit *Gulielmus de Fourmelles* in eadem dignitate succedens Ioanni du Bois. præstitit iuramentum in Camera Rationum Insulis 17. Augusti an. 1485. destitutus fuit idem an. 1487. & in locum eius promotus Franciscus Oppenhole per Senatum Gandauensem in Martio 1487. per Archiducem vero Maxæmilianum in Septemb. anni sequentis. post illum fuit *Iudocus Triest* Scutifer. Docent id tabulæ anni 1491. vndecima Martij. præstitit is iuramentum

Insulis

Insulis vndecima Augusti 1492. Successit huic *Gulielmus de S. Iacobshuus.* Cui titulus officij Teutonicè talis fuit. *VVillem van S. Iacobshuus Bailliu van onsen harden geduchten Heere ende Prince myn Heere den Ertshertoghe Philips van Oostenrijcke, Hertoghe van Borgoingnen, van Brabant, van Lembourgh &c. Graue van Vlaenderen &c. van synen Casteele vander Auderburch te Ghendt.* Gulielmo successit Petrus Snellaert ad triennium. Patet ex litteris 15. Iulij anno 1495. hic successorem habuit *Liuinum de Halsemberghe*, alias *de Halsbyt.* Datum ei diploma à Rege Romanorum, & ab Archiduce Carolo Flandriæ Comite Antuerpiæ 1507. *Iudocus du Chuesne*, dictus *vander Becken*, post hunc promotus est ad triennium consentientibus ærarij Regij magistris. Incipit 15. Iulij anni 1510. quotannis sexcentas sexaginta libras Parisienses soluere debuit. Post illum iterum fuit *Liuinus van Halsemberghe.* Patet è diplomate dato Bruxellis anno 1513. quem secutus est *Iudocus de Grutere* ad triennium quoque. Patet ex litteris 15. Iulij 1516. qui consensu Regis Castellæ constituit pro triennio sibi successorem *Ioannem de Stoppelaer*, post quem rursus fuit *Iudocus de Grutere*, resignante eodem Ioanne anno 1521. ad sexennium cum onere quingentarum quinquaginta librarum Parisiensium annuatim pendendo. Post Iudocum venit *Daniel de Stoppelaer.* Patet è diplomate Mechliniæ dato 13. Martij anno 1522. ac resignante Daniele iterum fuit *Iudocus de Grutere* anno 1527. ac post hunc rursus *Daniel de Stoppelaer* auctoritate Cæsaris Caroli ad sexennium, qui mansit Prætor ad annum vsque sæculi illius quadragesimum. *Philippus de Vriendt* successit Danieli vsque ad Augusti initium anni 1541. Philippo vero *Georgius Rockelsin* Eques. Patet ex litteris à Cæsare Carolo Bruxellæ datis Kalendis Augusti

1541. ac rursum ex alijs 23. Decembris 1552. ad sexennium, cum onere videlicet trecentorum quinquaginta florenorum annuatim pendendo, vxor ei fuit Francisca vander Sickele, filia Magistri Iacobi vander Sickele, qui Toparchus fuit de Nazareth, & Consiliarius sacræ Cæsareæ Maiestatis. Georgius habuit successorem *Iacobum Adomes* Equitē Dominum de Nieuwenhoue, Nieuvliet, Ronsele, Marquilles, &c. Patet è diplomate Regis Castellæ 16. Iunij anno 1558. *Liuinus de Sicleers* Scutifer Dominus de Gotthem post Iacobum fuit. Patet è diplomate Regis dato Bruxellis 24. Aprilis 1559. Obijt circa Maium an. 1572. quem secutus est *Henricus Stercke*. docent id litteræ datæ Bruxellis 16. Decembris 1563. Illum *Carolus de Grutere* Dominus de Croeuelde. Patet è diplomate dato Antuerpiæ decima Decembris 1579. atque hunc *Franciscus de Prouyn* Dominus de Lauenburg. Accepit diploma Gandaui quarta Aprilis 1583. ab Ordinibus Flandriæ; desciscentibus nimirum ab obedientia Regis Prouincijs Belgicæ. Eodem anno constitutus fuit *Philippus Roose* Scutifer Dominus de Strazeele per Magistros Rationum Iusulis. Docent litteræ 28. Martij an. 1583. Fuit etiam Prætor quidam *Arnoldus de VVaelwyck* à Duce Andium, creatus Antuerpiæ vndecima Septembris 1582. post illos regiâ auctoritate statutus fuit *Dionysius de Beuere* Bruxellis xxix. Aprilis 1593. Ac post illum denique venit *Georgius Della-faille*, Martini filius, Toparchus de Audegoede, &c. vir prudens, ac moderatus. qui in hanc vsque diem raro æquitatis, & Iustitiæ zelo præturam Audenburgensem administrat. Illi, vt amico nostro singulari, & benefico, multos, ac felices annos ad ingens eiusdem Castellaniæ bonum, ac patriæ nostræ ornamentum in eadem dignitate adprecamur.

CAPVT

CAPVT V.

Concilium FLANDRIÆ cum indiculo Præsidum.

PRimo constitutum fuit Insulis an. 1385. in Februario per Philippum Audacem Burgundiæ Ducem, &c. Flandriæ Comitem; per filium vero eius Ioannem Diuionensem ab Insulana vrbe Gandauum translatum fuit, relictâ nihilominus Insulis Camerâ Rationum, 1409. in Augusto, confirmatumque per Philippum Ioannis filium 1426. Verum cum anno 1449. offensus Gandauensibus Philippus Dux esset, idem Gandauo Concilium in oppidum Cortracense transtulit. Placatus iterum Gandauum Cortraco venire iussit ad annum 1456. atque inde Teneramundam. Orto autem inter illum, & Gandauenses bello, Teneramundâ Ipram migrauere Senatores; post rursus pace Gauerensi pactâ, Gandauum, anno videlicet 1463. rediere. Anno autem 1579. cum Hæretici in Belgio rebellionem concitassent, iussu Regis Catholici Philippi Secundi Duacum profecti sunt, atque iterum anno 1584. decima septima Septembris vrbe Ganda Regijs Imperijs per Alexandrum Farnesium Parmæ, & Placentię Ducem Belgicarum ditionum Proregem, seu Pręfectum subditâ, pristinis laribus restituti. Huius itaque Concilij primarios Adsessores siue Præsides, quos hactenus inuenire potui, sequens catalogus declarat. Primus eorum fuit *Petrus vanden Zype*, Gubernator etiam Insulanus, Duacensis & Orchiacenus. Sequuti ordine *Petrus à Candonca* anno 1407. *Simon de Formellis. Goswinus Seluagius. Ægidius vander VVoestine. Adrianus*

nus Colin Eques anno 1465. vocat eum Gramaius Andream. *Thomas de Plaine. Paulus de Baenst* Dominus de Vormeseele 1492. *Ioannes Syluagius* post Brabantiæ Cancellarius. *Philippus VVielant* Dominus de Landeghem, qui asserente Gramaio post etiam priuati Concilij Præses fuit. Vide de eo plura lib. 3. Scriptorum Gandauensium. *Richardus Reniger* 1509. *Nicolaus Vtenhouius* 1524. *Petrus Tayspil* 1527. hac vitâ functus 1541. etiam Sanctioris Concilij Præses fuit. Sequutus est illum *Ludouicus Helleweghe* 1541. ad meliorem vitam abijt 1556. *Adrianus vander Burch.* Obijt in Anglicana Legatione 1557. vices eius interim gerente *Iacobo de Blasere.* Fuit & Mechliniensis Curiæ Præses. *Iacobus Martens.* extremum vitæ diem clausit 1573. In eius locum venit *Guilielmus Pamelius* 1596. etiam post Sactioris Concilij Præses fuit. Eius, & aliorum quorundam Presidum vitam conscripsit Dionysius Haiduynus, habetque eam msc. vir illustris Emmanuel Sueyrus Eques Lusitanus. *Ioannes de Blasere,* post quem in Hispania existens ad eam dignitatem assumptus fuit *Nicolaus Damantius*, Brabantiæ etiam Cancellarius mortuus, quem secutus est *Iacobus Bogaert*, & illum *Ioannes Liebartius,* postea quoque Mechliniensis Concilij Præses, vir egregius, & incorruptus. *Guilielmus van Coorenhuyse* primum Hollandiæ, post Flandriæ Consiliarius, ac demum Præses. Vir fuit æquitatis amans, & iustitiæ, placidis item moribus, ac modestus. Methodum Pandectarum, librum vtilem, Iuris presertim prisci studiosis, iuuenis euulgauit. Vide de eo plura lib. 2. Scriptorum Gandauensium. *Marcus de Hertoghe* Eques, etiamnum superest, vir probus, ac animi rectus, longoque rerum vsu exercitatus, & magnis etiam in Remp. meritis clarus. Consiliarij autem erant anno 1624. Viri

virtute,

virtute, & eruditione præstantes, anno 1626. Præses defuncto antecessore declaratus, *Gulielmus VVijts*, *Screuelius vanden Driel*, *Ioannes de Bloys*, *Ioannes Iacobus de Brabant* Eques, *Antonius Scoorman*, *Antonius de Vuldere*, *Felix Ioannes Martin*, *Ioannes Baptista Lautens*, *Petrus vanden Broucke*, *Ægidius Stalins*, *Iacobus de Coninck*, *Alexander de Groote*, *Franciscus Boßier* fisci Curator; quo ad munus Consiliarij promoto successit Ieremias Pierpenæus iam pridem ab actis vrbis & territorij Iprensis, vir legum cognitione, & politiore litteraturâ clarus. *Iacobus van Zeueren* procurator Generalis, *Georgius Masseau*, & *Ioannes Iacobsins* Scribæ; *Michael de Gomicourt* Tabellio siue Notarius Concilij. *Iudocus de Baenst* Quæstor obuentionum. Senatus autem per Ioannem Ducem constituti à Ioanne Baptista Gramaio Antiquitatum Gandauensum cap. XVII. personæ numerantur hæ: *Simon Formelius*, *Iacobus Lichterueldius*, *Gulielmus HaleVVyn* Equites, *Henricus Gotthals*, *Daniel Alardi* dictus *Perceual*, *Iacobus Tenniers*, *Antonius VVisfot*, *Theodoricus van Royen*, *Nicolaus dū Chesne*, *Victor Bauedam*, *Rolandus Moerkercke*, Suiotus Boyns. Anno autem 1409. non plures quam quinque fuisse huius Concilij adsessores lib. 4. cap. LVII. Antiquitatum suarum Belgicarum narrat Marcus Varnewicus; qui hic sequuntur: Magister *Daniel Alaert*, M. *Ioannes Doret*, M. *Iudocus Steelant*, M. *GosVVinus le Sauuage*, M. *Ægidius vander VVoestyne*; quibus quatuor adiunxit tum temporis Philippus Dux: qui fuerunt, D. *de Moerbeke*, M. *Simon de Formelis*, M. *Ioannes vander Ketulle*, & M. *Franciscus van Gendt*. quorum duobus postremis diurna merces erat XII. assium, Simoni viginti, ac Domino de Moerbeke XVI. ijs videlicet diebus solis, quibus litium, & caussarum cognitioni intenderent. Nunc amplioribus, credo,

ſtipendijs militant. & licet duplo plures numero ſint: litibus tamen excutiendis, & iudicandis (ea noſtrorũ temporum cum inſigni Chriſtiani nominis ignominia ad iurgandum libido eſt) vix ſufficiunt. Patrum memoriâ in Concilio Flandriæ Senator fuit Iacobus Heſſelius, vir, vt verbo dicam, integritate vitæ, & eruditione clariſſimus. quare glorioſum eius pro fide Catholica, & tuenda regia auctoritate certamen, quod in Auctario ad Natales Sanctorum Molani ex litteris Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis ad Principem Parmenſem Alexandrum Farneſium 1586. datis in ſequentem modum narrat Arnoldus Raiſſius, non immeritò hic, vt eximium Collegij illius ornamentum adponam.

Haud procul à Gandauo via Cortracenſi paſſio Iacobi Heſſelij illuſtris, ac piæ memoriæ viri, in Gãdauenſi quondam vrbe Vice-præſidis, Equitis aurati, & Concilij Flandriæ Cõſiliarij. Hic anno 1578. à Gandauenſis vrbis rebellibus, & hæreticis primò barbarum in morem tractatus, carcereque incluſus, ac tandem publicatis omnibus illius bonis ſuſpendio damnatus eſt, reſectâ prius tortoris manu ab illius mento venerabili canitie: quam deinde tortor idem ad ludibrium galero ſuo, pennæ in morem, circumpoſuit: ſupplicij cauſſa haud alia fuit, quam quod rebelles iſti eundem in fide Catholica, ac regio obſequio, & officiorum ſibi commiſſorum adminiſtratione, & fidum ſeſe, ac vigilantem annos ipſos ferè quinquaginta præbuiſſe dictitarent. Quam ſanè mortis cauſſam honeſtiſſimam, optimamque fuiſſe Deus ipſe ingenti prodigio poſtmodum omnibus patefacere voluit. Siquidem annis ſeptem integris ab ipſius morte, eiuſdem Heſſelij corpus integrum prorſus, ac nullâ ſui parte corruptum inuentum eſt. quo factum, vt ibidem Gandaui iuſſu Regis Philippi ſecundi ad perpetuam rei geſtæ memoriam magnificum ſit ei erectum monumentum. Franciſcus Roſe Belliolanus Conſiliarius primò Gandauenſis, deinde

inde

inde Mechlinienſis, hocce ei hiſtoriale epitaphium accinuit ſuper eo quod viuus dicere ſolebat:

Vbi manſimus vnquam?

Vox tibi ſolemnis fuit hæc, Vbi manſimus vnquam?
Te manſiſſe tamen blaterauit turba rebellis,
Non procul à Gandæ portis, Cortracea verſus IV. Octobris
Arua, vbi conſtrictis manibus barbaq; reſectâ, 1578.
Quam; pulcrum ô ſpolium! rapiunt, geſtantque galeris:
Iuſſus es indictâ cauſſâ conſcendere quercum,
Et laqueo preſſus vitales claudere riuos.
At non manſiſti, meliori parte locatus
Sedibus æthereis, reliqua telluris in antro,
Donec ab Hiſpano deuictis rege Tyrannis,
Concilio, & magnâ procerum comitante caterua
Meſibus exactis ſeptem (mirabile dictu)
Candidior, tabique expers transferris ad vrnam
Heſſelidum generi Michaelis in æde dicatam.
Nec tamen hoc manſura loco; nam tendere ſurſum
Te ſpes certa manet: ſociamq; capeſſere partem.
Vt ſimul æternæ delibent gaudia vitæ.
Vltrà quod quæras nihil eſt; hic ergo manendum.

ANTONII SANDERI

PRESBYTERI

S. TH. LICENTIATI

IPRENSIS ECCLESIÆ

CANONICI

GANDAVENSIVM RERVM

Liber Quartus.